


RESONARE CHRISTUM





COMES EST PERPETVA

HEROINÆ NOBILISSIMÆ IOANNÆ DARC LOTHARINGÆ VVLGO AVRELIANENSIS PVELLÆ HISTORIA,

Ex variis grauissimæ atque incorruptissimæ fidei scriptoribus excerpta

Eiusdem Mauortiæ Virginis Innocentia à calumniis vindicata

Authore Ioanne Hordal Serenissimi Ducis Lotharingiæ Consiliario, Et I.V. Doctore ac professore publico in alma vniuersitate Ponti-Mussana.





PONTI-MVSSI,
Apud Melchiorem Bernardum Eiusdem Ser. Ducis Typographum
M. D C. XII.



Leonard. Gaultier sculp.

2066

+ ÆTERNÆ GLORIÆ,

DEI OPT. MAX.

SALVTIS AC VICTORIÆ
DATORIS:

DEIPARÆ VIRGINIS, miſſione auxiliatricis, ac liberatricis puellæ Ioannæ Darc, optimè de Gallia meritæ;

DIVI MICHAELIS, quo Dei ac Mariæ internuncio excitata Ioanna, quo Eccleſiæ Galliæque præſide, belli principe ac ductore, ſacro ipſius apparitionis die Liberatâ per Ioannam Aureliâ, Gallia omnis ad ſpem ſalutemque vocata eſt;

IOANNÆ DARC, natæ immortalitati clariſſimæ Virginis,

LOTHARINGIÆ, vnde illa orta;

GALLIÆ, cui ſubſidio diuinitus eſt miſſa;

Deditiſſimus IOANNES HORDAL,
Perenne hoc monumentum
ſtatuit, dicatque.

TALIS IN ARMA RVIT BELLACI SCHEMATE VIRGO.



Pugnate audentes Galli: si tale tenebat
Palladium titubans Troia, perennis erat.



ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMOQVE PRINCIPI

FRANCISCO A LOTHARINGIA

MARCHIONI DE HATONCHASTEL, COMITI DE VAVDEMONT, de Salm, Chaligny, &c. Baroni de Viuier, Ruppe, Brandēbourg, Domino de Dompremy, &c.

*VIrilem hanc Puellam pietate illustrem, armis nobilem, castimonia singularem, Gallorum saluti, Lotharenorum decori, Hostium exitio, suo partim commodo olim natam, partim denatam incommodo, nunc verò cum nationum propè omnium elogijs renascentem vt dicarem ego tibi (*PRINCEPS ILLVSTRISSIME*) effecit tum mea virginisque in te huius, tum tua in me Virginemque istam propensio. Et verò ad quem reuerteretur nisi ad te Ioanna quæ à ditione tua originem traxit suam? Quidni rediret suum ad Patronum Cliens, ad Dominum fa-*

mula, ad Ducem miles? amat pedamentum vitis, pastorem ouis, nauis nautam, vt seruetur, vt foueatur, vt regatur. At in quo facilius inueniat, a quo æquius præsidia hæc impetret, quam ab illo dignitatis suæ conseruatore ac vindice, quem in rebus arduis magnanimitas, in dubijs prudentia posse faciunt, velle autem effusa in omnes, singulari stipata felicitate benignitas? Hinc est cur te Asylum oppressis, afflictis subsidium, portum naufragis, inferioribus benignum, æqualibus familiarem, amicis beneficum, hostibus terribilem, omnibus admirabilem videamus. Nimirum ita se res habet vt à felici arbore fructus optimi, à progenitore præstantissimo eximij fœtus, à nobilissima indole omnibus virtutum locupletata dotibus, generosissima facta nequeant non existere. Nam vt Imperatorum Regum, Dynastarum tum orientis tum obeuntis solis vetustissimas clarissimasque omittam imagines, vt sileam virorum gentis tuæ Principum pulchram per vulnera pro Catholica Religione mortem obeuntium, memoriam immortalitati consecratam, quis non obstupescat tam absolutum virtutum omniũ vno in te vigentiũ cumulũ vt delegisse te præsertim videantur in quo vnà omnes sedem sibi & gratam figerent & perennem? Me vt interdum delectet, Principum permultos templis ijs conferre (fas sit vetera illa quan quam ritè antiquata meminisse) in quibus Dei vnius Deæue sola coleretur effigies; te vero Pantheo illi in quo residerent omnes Dij. Floruit in bello aliquis sed emarcuit in pace, aliũ toga sed non arma decorarũt, reuerentiã ille terrore, alius amorem facilitate captauit. Ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit. Postremò pauci admodum extitere quorum virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. At tibi (vt cũ Plinio loquar in Panegyrico) quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit, vt nihil seueritati tuæ hilaritate, nihil grauitati simplicitate,

nihil maiestati humanitate detrahatur? Iam cultus & religionis cura, iam constantia in aduersis, in prosperis æquabilitas, in factis dignitas, in dictis sapientia nonne Principem votis omnibus maiorem loquuntur? talem profectò esse oportuit eum cuius fidei maximus Regum vrbes potentissimas, cuius fortitudini equites numero multos, stirpe nobiles, bellica laude spectatos committeret: quem Veneta Respublica externo militi Præfectum deposceret, quem Austrasia vniuersa primum à Duce suo intueretur. Ego certè vt te aspexi te suspexi, & salutaribus vultus tui radijs saucius ita te intrinsecus intueri, gloriamque tuam tueri extrinsecus statui, vt quemadmodum à sole heliotropium non abscedit, sic à virtutum contemplatione tuarum animus meus, à præconijs vox, & stylus, à beneficentia manus abitura non sit. Accipe igitur Ioannam hanc gente nostram, ditione tuam, vt à te ad nos profecta, per nos ad te redeat; tuo in solo nata educataque, tuæ tuorumque gloriæ nata sit; te habeat gloriæ suæ vindicem; quibusque è terris salutem Galliæ intulit, in eas, quòd per hostilem inuidiam redire viua haud potuit, immortaliter viuaci gloria nobilis, per te vnà mecum, tuo fauore, meis laboribus reuertatur.

Tuæ Excellentiæ re &
studio addictissimus

I. Hordal.

Extraict du Priuilege.

PAr grace & priuilege de ſon Alteſſe, il eſt permis à Melchior Bernard ſon Imprimeur iuré en l'Vniuerſité du Pont-à-Mouſſon, d'imprimer, ou faire imprimer, le liure de noſtre treſ-cher & feal Conſeiller d'eſtat, & Docteur és droicts & Profeſſeur Ordinaire en noſtre Vniuerſité dudict Pont, intitulé ***Heroinæ nobiliſſimæ Ioannæ Darc Lotharingæ vulgò Aurelianenſis Puellæ hiſtoria.*** Auec deffence tres-expreſſe à tous autres Imprimeurs & Libraires d'imprimer ledict liure: & ce pendant le terme & eſpace de ſix ans, à compter du iour qu'il aura eſté acheué d'imprimer, ſur peine d'amende arbitraire & de confiſcation des exemplaires. Car ainſi nous plaiſt. Expedié à Nancy le 17. de Mars, Mil ſix cens & douze. Les Sieurs de Gournay Chef du Conſeil, de Stainuille Doyen de la Primatialle, de Valhey, Gouuerneur de Marſal, de Myon, Bardin, Bailliuy, Rouyer, Maiſtres aux requeſtes ordinaires & autres preſens.

Ainſi ſigné HENRY.

Et plus bas.

I. Rolin.

APPROBATIO.

EGo infra ſcriptus Societatis IESV Theologus legi hunc librum, in quo de Ioannæ Puellæ rebus geſtis quid ſentiendum ſit, doctè & accuratè demonſtratur. Nihilq; in eo reperi quod ſanctiſſimæ noſtræ fidei aduerſetur, aut bonis moribus poſſit officere. Hoc mei nominis adſcriptione teſtor.

Ioannes Mamburgus.



NOBILI, CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE VIRO D. D. IOANNI HORDAL SERENISSIMI DVCIS Lotharingiæ Consiliario, I. V. D. atque in almâ Vniuersitate Pontimussana Professori ordinario, Cognato suo.

IN DEPICTAM ET DESCRIPTAM Virginis Aureliæ statuam & historiam.



Vmice quum duplici, pictâ scriptâque tabella,
Pene exesa tuæ Virginis arma polis:
Te Natura mouet, siquidem genus inde tulisti;
Ipse tuos picta Virgine, pingis auos.
Nec mirum, nam quæ armis gloria parta puellæ
Est eadem & scriptis gloria parta tibi.

Car. du Lis Consiliarius & Aduocatus Reg. Paris.

AL MEDESIMO SIGNOR HORDAL.

QVesta guerriera, si come io, Francese,
Ache ti parlo in lingua non vulgare!
Perche Ariosto gentil che ser mi pare,
Questa par' Bradamente fiera è cortese:
Non chabbi volsuto l'ardite Imprese
Di questa Pulcella, in versi cantare,
Mà con graue è fedel stile narrare
Mandate dal' Ciel' luiute è difese.
Ora, di quanto questa valorosa

Fanciulla supera la fauolosa
Bradamante, Di quanto piu buggia
Grada si, ma sbelletata è fallace,
Cede a la verita, nuda che sia,
Di tanto ti cede Ariosto mendace.

AL MEDESIMO SIGNOR.

MIra che con l'arte è la dotta mano
Con chiaro stille è eccellente ingegno
Quest' opra è salita in si altero segno
Che rimauer fà ogni scrittor lontano.

Cat. de Cailly.

EN LOOR DE LA OBRA Y HISTORIA DE IVANA VIRGEN AVRELIANA hecha por el noble y doctissimo Señor Don Iuan de Hordal Consejero d'estado de Su Alteza Doctor en los de rechos y Professor ordinario en la alma, celebre, y nombrada Vniuersidad de Puente-Mussone deudo y pariente d'essa misma Virgen.

PArate aqui, ô hermano passagero;
Porque passas de priessa, y tan ligero?
Mira à este auctor, honrra y gloria
D'esta ciudad, y de tierras de Lirios:
Mira à nuestra Virgen, y à nuestros rios;
Y por siempre queden en tu memoria.

Por el Señor Iac. de Cally. Gentil. Aurel.

AD EVNDEM.

CVncta tuo cedant impigro scripta labori,
Veris falsa, sacris vana, vetusta nouis.

Virginis Aureliæ nam quis monimenta recenset
Plura his quæ memoras, vera, sacra atque noua.
Idem de Cailly Nob. Aurel.

SVR LE TRES-DOCTE ET AGgreable liure du Sieur HORDAL, par lequel il semble nous vouloir rauir la Pucelle d'Orleans, sa bonne parente, & l'emmener en son païs.

SI mes ayeux, iadis pleins de valleur,
Ont accondnit sur la riue de Loire,
(De ton pays) Iehanne de Vaucouleur;
Qui de l'Anglois remporta la victoire:
Si que son nom, par tiltre meritoire,
Nostre la dit; Or' sous quelle couleur
Nous voudrois tu laisser ceste douleur
De l'emmener dedans ton territoire?
Pense tu point du charme de ton liure
Soudainement la rauir à noz yeux?
Ne t'y attens, ny moins qu'on te la liure.
Plustost faisant comme mes peres vieux,
Pour la querir & leur prouësse ensuiure,
I'iray chez toy & en tous autres lieux.
Par le mesme Sieur de Cailly G. Orl.

Sur le tableau de la Pucelle d'Orleans.

CE maintien Martial, & ce visage beau:
Pouuoient ils rencontrer plus fidel pinceau;
L'esprit en est au ciel, son honneur & sa gloire,
Ne periront iamais au temple de memoire.
Par le mesme Sieur de Cailly G. Orl.

NOBILI, CLARISSIMO, DOCTISSIMOQVE VIRO D. D. IOANNI HORDAL in vtroq; & Principis, & Iuris auditorio Collegæ ſuo, de reſtituta dignitati IANA DARCIA.

NICOLAVS GVINETVS.

FRancia, quæ victrix populorum, colla Britanno
Subdis? & irato numine preſſa iaces?
Heu pietas! ſic ſtrata gemis? ſic Lilia marcent?
Languida probroſum ſic patiere iugum?
At miſeret miſeræ ſuperos: monituque ſuperno
Finibus è Lotharis arma virago capit;
Reddat vt attonitæ vires: Angloque minaci
Præcipiat verſum trans mare ferre pedem.
Non prius occiderent Franci Diadematis hoſtes,
Quàm noua Dux belli fœmina facta foret.
Non prius acciperes patriam Delphine coronam,
Quàm tutum ad Rhemos Virgo pararet iter.
Qualis in Argiuas vel Pente*ſilea phalanges,*
Vel ruit in medios Volſca puella Phryges:
Talis per denſas acies IANA *inſtat, & acta*
Fertur in aduerſos cuſpide Brutigenas.
Auxilium præſens obſeſſa Aurelia ſentit,
Et grata, in memori marmore geſta notat.
Sed fruſtrà in ſummo ſcalpta eſt victoria Ponte,
Fruſtrà Seruatrix Gallica, IANA *cluet.*
IANAE *iterum laudes oblinia longa tegebant*
IANA *iterum probris mille petita fuit.*
Verùm dum linguas HORDALLE *retundis inanes,*
Vindice te Gallis DARCIA *viua redit.*

FRATER FRATRI CONSVLTISSIMO.

FRancigenûm vindex, ſceptri tutela virago
Quam facis à ſera poſteritate legi.
Teque tuoſque ſuo prognatos ſanguine clarat,
Si lubet addatur laus vt auita tuæ.
Digerat aſt longo fumoſas ordine ceras
Qui volet, & patria laude ſuperbus eat;
Nam proprius tibi (Frater) honos merituſque paratur:
Nempe tuis per te gloria ſurgit auis.

Tibi addictiſſimus L. Stephanus I.V.Licen. Ciuit. & Marchion. Pontimuſſ. Procognitor.

EIDEM COGNATO SVO plurimùm colendo.

NAſcitur en iterum flammis conſumpta Virago:
Qualis aromatico funere Solis auis.
Sol cuius radij dant vitam HORDALLIVS *ille eſt;*
Cuius ab illuſtri Virgo renata ſtylo.
Naſcere ſecurâ æternùm fruitura ſalute:
Flammaque cum fama te ſciat eſſe Deam.

Steph. Hordal. I. P. L.

EIDEM LECTISSIMO Cognato ſuo.

FLoruerat meritis quondam celebrata triumphis
Aurelij Virgo ſpeſque, ſaluſque ſoli.

Illa sed aduerso nuper marcescere vento
Credita, non meritis insimulata notis.
H O R D A L E *Iuris honos insontem protegis, illo*
Nempe decet fungi munere iuridicum.

Dominicus Guillot Canonicus
Tullensis.

EIDEM D.D. IOANNI HORDAL
acerrrimo Aureliæ Puellæ integritatis vindici,
Amico suo fidelissimo.

NE te vltra Aureliæ iactent à stirpe Puellæ:
Iactanda est potius laudibus illa tuis.
An genus Aureliâ tibi plus illustre Puellâ
Quàm fuit hæc calamo nobilitata tuo?
*Non reor (*H O R D A L L I*): nec quisquam dicat an alter*
Maius ab alterius lumine lumen habet.

Eiusdem eidem.

EN formidati toto prius orbe Britanni
Aureliæ fracti Virginis ense cadunt.
Quid nunc hos mirére decus lacerare Puellæ?
Fœmineâ mœrent succubuisse manu.

Adamus Marotus Sequanus.
I. P. D.

DE GALLORVM CVM ANGLIS dissensione à iudicibus delegatis à sede Apostolica decisa.

EIDEM D. HORDAL.

A Gallis Angli multum distare videntur,
Dum de IOANNA Virgine disseritur:
Namque vt Francigenæ clara eius facta probarunt,
Ipsamet Angligenæ sic reprobare solent.
Sed cum Pontifices laudent celebrentque puellam,
Conuenit illorum credere iudicio.
Inde tibi debetur honos ob talia scripta,
Perpetuò quorum luce superstes eris.

P. G. Anglus.

A MONDICT SIEVR HORDAL SVR SON Liure de la Pucelle d'Orleans: Sonnet.

Contrepointer l'effort des ennemis Anglois,
Emousser de leurs dards la pointe redoutable,
Amortir de leurs feux le brandon execrable,
Restaurer les estats, & regne de Valois:
C'estoit à la grandeur de tes masles explois
O Pucelle, de Mars la fille incomparable,
C'estoit à la valeur de ton bras indomtable
O Amazone, l'heur, & l'honneur des François.
Mais c'estoit, MON HORDAL, à ta plume eloquente
Peindre cest' Heroine en proüesse eminente,
C'estoit, c'estoit à toy rayonner ses combas,
Et mouler sur la charte au naïf son image
Affin que ioincts d'escrits comme de parentage,
L'vn & l'autre marchiez sur l'oubly du trespas.

Adenot Iacquet Barrisien Legiste.

TALIS INERMIS ERAT MVLIEBRI VESTE PVELLA.



Mollis an hic facies? an imago tenella puellæ?
Veste puellari Martia virgo latet.

L. Gaultier sculp.



HEROINÆ NOBILISSIMÆ

IOANNAE DARC LOTHARINGÆ VVLGO AVRELIANENSIS PVELLÆ HISTORIA

EX VARIIS GRAVISSIMÆ atque incorruptissimæ fidei scriptoribus excerpta,

EIVSDEM MAVORTIAE VIRGINIS Innocentia à calumnijs vindicata.

Authore IOANNE HORDAL. &c.

Præfatio.

ETsi Deus in seipso simplex, in effectis multiplex, vtrobique mirabilis, innumera suæ in humanum genus singularis prouidentiæ protulerit argumenta, nulla tamẽ edidit vel clariora ad exemplum vel ad impetrandam fidem efficaciora, vel denique ad concitandam fiduciam aptiora, quam dum profligatas Principum, prouinciarum, regnorumq; fortunas non ab interitu modò vindicauit,

Publicos rerum humanarum motus spectacula esse diuinæ prouidentiæ.

ſed eas etiam maiori longè tum firmitate roborauit, tum ſplendore decorauit. In his enim & fulciendis & illuſtrandis ea ſapientiſſimus ille rerum omnium moderator vſus eſt agendi ratione, quæ humanas ſupergreſſa vires, in eum tantum refundi queat à quo dimanauit. Nimirum vt intelligerent omnes à quo tempeſtates extiterant, tranquillitatem eſſe ab eo profectam, ab eo conceptum eſſe periculum à quo ſit enata ſecuritas, deniq; ab eodem à quo impendebat interitus, vitam inſtaurationemque pependiſſe. Stolidum profectò eſt hominum vulgus quod ratione præditum, rationis ductum vix ſequitur, ſenſuumque appulſu neceſſe habet belluarum inſtar regi. Illud ergo terret præpotens è cœlo Deus, vt quoniam calamitoſum eſt ab inexhauſto bonitatis omnis authore beatitatem ſperet ſuam, illud decumanis fluctibus quatit, vt ſalutis ſuæ anchoram, illo in immobili æternitatis ſolo defigat, illud denique impendentibus mortis vrget minis, vt ipſum à perni-

cie traducat ad vitam. Excitantur enim rerum aduerſarum perpeſſione mortales ad cauſam ærumnarum ſuarum inueſtigandam, authoremque noſcendum; & vbi ſcelerum conſcientia illam ſubiecit, hunc ſupremi numinis ſuggeſſit recordatio, ad Deum tantò arctius amplectendum prouocantur quantò ſtrictius implicati criminibus ſuis tenebantur. Ita gentem illam Hebræam delectam inter omnes, dilectam præ omnibus, non duram minus quàm diutinã ſeruire in Ægypto paſſus eſt ſeruitutem, vt redditæ gloria libertatis redundaret in ſe vnum, in vniuerſum verò populum beneficiorum omnium deriuaretur vtilitas. In quem enim Ducem atque authorem Moyſis conſeruatio qui prius propemodum orbus fuit quã ortus, prius damnatus aquis, quàm in lucem natus, prius expoſitus quã ſuſceptus niſi in Deum conferatur? Cuinam eiuſdem in aggrediendo Pharaone fortitudo, in permouẽdo efficacitas præterquam Deo tribuatur, cum Moyſem

neque ingenij tarditas rerum admirabiliũ quæ dicendæ ipſi quæ efficiendæ erant, notiones mente producere, neque hæſitantia linguæ animique tenuitas efferre pateretur? Quis denique inaudita omnibus omnino ſeculis, patrata tamẽ à Moyſe miracula numero plurima, nouitate miranda, magnitudine ſtupenda, quis inquam ea ſibi præter Deum audeat arrogare? Atque vt in eiuſdem gentis hiſtoriâ me contineam, quonam collineauit illa prouidentiæ diuinæ ſeueritáſne an benignitas? cum Philiſtæam nationem ritibus profanam, feram moribus, odio in Hebræos non inſatiabili minus quàm impio imbutam triumphare in gigantis vnius fiducia permiſit; verum ita triumphare, vt vaſtam illam corporis immanis proceritatem, turrimve carneã, paſtoris vnius paruitate proſterneret, robur vinceret imbecillitate, tumidoſque animi veſani ſpiritus ipſa demiſſione retunderet, minueret, extingueret, militares denique armorum motus ruſticæ fundæ verbere

elisos eluderet, imò verò trophæum pastor ex spolijs ducis triumphalibus erigeret, hostes dolore & dedecore, suos lætitia gloriaque impleret, satiaret, cumularet? Quid illa totius ferè eiusdemque gentis vna in ciuitate arctissima sub Holoferne obsidio, deditio imminens, ruina certissima, quorsum permissa, quorsum immissa, nisi vt scelerum suorum conscientia stimulati Iudæi tantùm in immortali præsidio confiderent, quantùm diffidere de mortali subsidio cogebantur? nam vnde spes ipsis salutis affulsit, vnde affuit? non à valida militum manu, non à machinis, non ab armis, imò nec à virili sexu: verùm ab eo cui timidè agere ius est naturæ quoddam atque indoles, à fœmina, à vidua, à captiua. Fregit enim virile robur mulieris mollitudo, prudentiam penè audacior pietas diuino directa consilio fefellit, infelicitas prosperitatem profligauit. Quid multa? obtruncauit Iuditha Holofernem, obsessi obsessores cepere, victique Iudæi & numero pauci, victores

Aſſyrios multitudine infinitos, longè quàm Thebani in Cadmæa pugna glorioſius ſuperarunt. Et vt aliquantò propiùs ad noſtrum accedamus argumentum, quantâ dignum eſt admiratione quod à reparata per Chriſtum ſalute quarto decimo, altero autem à nobis ſeculo Galliarum regno euénit? Quid? nonne obſeſſum illud ab Anglis & inſeſſum, cum bellis externis, inteſtiniſque diſcordijs laboraret, ac tantum non in ruinam procumbere videretur, puellæ vnius eiuſque ruſticanæ animo, conſilio, viribus, armis, ſeruatum ab interitu reſtitutumque priſtinæ dignitati fuit? Sed (quod mirari planè æquum eſt) ea commutatione fortunæ vt ſalutem quam attulerat Gallis, ſibi non retineret, mortemque cui Anglorum permultos dederat ipſa incurreret, aut vt verius loquar, moriens tum animi vitam, tum nominis gloriam nullo tempore intermorituram gemente licet inuidia compararet. Quamuis enim oppugnari quandoque veritatem contingat,

Puella Ioanna perturbatis rebus Gallicis diuinitus ſubſidio miſſa.

nunquam tamen expugnari: premi ea potest non opprimi, mergitur ſed emergit, tam conſpicua, tam illuſtris, tam vegeta, vt eam nec inuidiæ liuor inficere, nec mendaciorum tenebræ obſcurare, nec annorum diuturnitas oblitterare queat. Et verò quis niſi vel malignus, ne dicam impius, vel in hiſtorijs penitus peregrinus puellæ integritatem dignitatemque illius reuocare in dubium audeat quæ è diſiũctiſſimis nationibus, ſcriptores oratione tum deuinctâ numeris, tum ſolutâ clariſſimos, incorruptiſſimos eiuſdem ætatis, interiectæ, noſtræ etiam iſtius memoriæ viros ſuæ virtutis admirabilitate ad ſui cõmendationem excitauit? Apud me ſanè tantum valuit vis veritatis vt quietis partem capere potuerim nullam, donec diſperſa rerum à puella noſtra geſtarum diuerſis in auctoribus membra in vnum veluti corpus coaptarem, quò non ſolum ſingularum partium decor eluceret, verùm totius hiſtoriæ coagmentata pulchritudo cerneretur. Quò cum ani-

Quæ cauſæ fuerint auctori huius ſcribendæ hiſtoriæ.

mo & cupiditate, mea ipse sponte studiosè incumberem, tum vt id moliri, & agere auderem inductus sum assiduis consanguineorum, affinium atque amicorũ flagitationibus, nobilis præsertim, clarissimi, consultissimique viri Domini Caroli du Lis Regij in Parisiensi subsidiorum Curia Consiliarij atque Aduocati generalis, qui quòd à Petro Darc Virginis nostræ fratre tertio ortus est, eodem illo à quo Hordaliorum genus est propagatum; nobiscum iure huius virginis dignitati fauet, à qua vtrisque spectatissima est transmissa nobilitas.

Rei Narratio.

REM vt ordiar. Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo secundo, cum Caroli VI. Francorum Regis obitu, quasi effractis viarum repagulis, emotisque regni præsidijs omnibus, magno numero se, magnisq; molitionibus Angli in regnum Galliæ infudissent, captis belli impetu clarissimis ac munitissimis arcibus, oppidis,

dis, ciuitatibus, vaſtatis agris, magna edita hominum & locorũ ſtrage, breui tempore tanto omnia ſuorum armorum terrore compleuerunt, propè vt de rebus Gallicis actum videretur, nam & Carolus VII. bis acie fuſus multis hominum millibus amiſſis, primùm in oppido quod Crepantium vocatur, iterum in finibus Lexouiorum vbi auxiliares Scoti fortiſſimè præliantes cum pluribus Gallorum millibus ab hoſtibus cæſi ſunt, in ſummã ſuæ fortunæ deſperationem venerat.

Cauſa belli fuit, partim inueterata Regum Angliæ, regni Galliæ potiundi cupiditas; partim recenti dolore atque iracundia tumens in Gallos, Anglumque adiuuans Burgundiæ Dux; qui, quòd ad matrimonium Catharinæ Francicæ cum Henrico V. Angliæ Rege, Regem Galliæ Carolum VI. Reginam, Catharinamq; ipſam adegerat, eius matrimonij leges eas dixit, quæ & Gallico & communi iuri aduerſæ, belli poſtea ſeminarium fuerunt. Cauſa belli Gallis ab Anglis illati.

Rem ita narrant. Cum Catharina Ca-

roli VI. filia, Henrico V. Anglorum Regi nuptui traderetur, eæ matrimonij leges auctore Philippo Duce Burgundiæ dictæ sunt; si superstite Henrico Carolus VI. vita fungeretur, Galliæ regnum Henricus adiret: sin prior obiret Henricus, eique virilis proles foret superstes, Carolo è viuis abeunte, Henrici filius regnum Galliæ consequeretur, nulla de Carolo VII. legitimo licet successore, mentione habita. Testes Gaguinus & Papirius Massonus in annalibus, & Georgius Lilius Britannus in epitome Chronic. Anglorum Regum. Cumque Henricus Angliæ & Carolus Galliæ Reges eodem anno nempe millesimo quadringentesimo vigesimo secundo vitam cum morte commutassent, (sic enim memorant Galli, Angli, Germani scriptores, nominatim Gaguinus & Papirius Massonus in Carolo VI. Thomas walsingham in vita Henrici V. Anglorum Regis, & Ioannes Nauclerus volumine secundo Chronographiæ generatione xlviij.) filius Angliæ

Regis eodem cum patre nomine, patri ſuccedit, & in regia Pariſienſi ciuitate, regium Franciæ nomen vſurpat, Franciæ Angliæque Rex publicis priuatiſque literis & forenſi ſigillo monetaque, quam nouam cudi curauit, appellatur inſcribiturque. Miſerrima certè id temporis fuit vniuerſi regni Galliæ perturbatio, nam hinc à Burgundionibus, inde ab Anglis, mox ab his qui ſe rebus conſulere dicebant, ita tumultuabatur, vt dicere difficile eſſet, hoſtiſne an Francus plus damni infelici populo inferret: Prælia multa, ſeditiones plures, dum nulla partium alteri inſtituit cedere, vincuntur tamen Franci apud Vernolium prælio, occiſi ad numerum quatuor millium, capti Duces & Comites plurimi. Nauclerus loco indicato. Hoſtis tot militaribus copijs Galliam inuaſerat vt Carolus VII. tunc temporis Rex, per ludibrium ab hoſtibus Bituricenſis Rex vocaretur. Verùm vt acciſis, afflictiſque rebus prȩſentius numen ideo interuenit vt liquidiùs agnoſcatur; Ioan-

na virgo annorum octodecim aut circiter, diuino afflata numine ad erigendos & reficiendos Francorum animos, salutari manu opportunè adfuit. Hæc ex oppidulo quod Donoremigium vocatur in agro Tullensi apud Leucos orta, patre Iacobo Darcio agricola, matre Isabella, vtroque probis & honestis moribus, pascere paternas oues solita, ad Carolum venit, prædicans se à Deo missam, vt Aureliam obsidione liberaret, vtq; eum Rhemos sacra vnctione regno augustiùs inaugurandum perduceret. Et vt res altiùs repetatur, ita literis traditum inuenimus, huic Virgini patris oues ruri pascenti, dum Aurelia obsideretur, & Caroli res inclinatæ grauiter atque affectæ essent, speciem quandam humana augustiorem sese ostendisse: (Diuum Michaëlem historiæ nominant, vnde Sancti Michaëlis torquatæ militiæ Francicæ origo extiterit) Stephanus Paschasius in cap. XV. lib. secundi disquisitionum Gallicarum, & Matthæus in Ludo. XI. lib. 5.

Puellæ Ioannæ ortus.

Diuina Ioannæ in rem Galliæ electio.

Huius occurſu cum pauore conſternata propèque exanimata fuiſſet, bono animo ab ea eſſe iuſſam, Regemque Carolum adire, quò & Aureliam obſidione liberaret, & Regi afflicto regnum aſſereret. Trepidare primùm illa atque hærere fidei & conſilij incerta, ſilentio etiam viſa auditaque apud ſe premere; adeò res credita nunciari noua & inſolens, & quæ ſermonem hominibus datura, niſi explorata Dei voluntate, verecundę atque honeſtæ virgini diſſimulanda ac detrectanda potius videretur. Verùm cum eadem illa ſpecies identidem ſe cum ijſdem à Deo mandatis virgini offerret, hæc verita ne verecundiùs quàm religioſiùs ageret, propinquorum adhibito conſilio viſa atque audita ijs patefacit; Super his ad Robertum Baudricurtium Valliſcoloris Præfectum deducta, riſu primùm ludibrioque excipitur. At cum Baudricurtium de clade ad Roboretum Diui Dionyſij accepta, deque Aurelianorum periculo, magnopere vt re diuinitus comper-

ta admoneret, atque is tum clara in illa virtutis & prudẽtiæ ſigna adnotaret, tum de eius probitate ac moribus quæſtione habita, perhonorifica municipum eius omnium teſtificatione cognouiſſet, virili veſte indutam, duobus equitibus Ioanne Metenſi & Bertrando Pulengeio certis teſtibus, cuſtodibuſque additis; proſequentibus præterea duobus virginis fratribus, ad Carolum qui tunc temporis Chinonij agebat, fauſta omnia precatus honeſtiſſimè dimittit. Paucis diebus, nullo aut prohibente aut iter demorante hoſte, ſalua & incolumis cum ſuis ad Regem peruenit: Regem ipſum quem nunquam antea viderat, quique famæ quę de ipſa erat, experiundæ cauſa, tenuiore habitu inter regio cultu ornatos proceres, ſeſe ex compoſito diſſimulabat, perſpicuè agnoſcit; Rex nouitatem rei admiratus, ſentienſque non ſine numine id eſſe, quòd tantum terrarum, tantum hoſtium, tam intrepidè, tam tutò, conſilio tam forti, tam inuſitato peruaſiſſet; quid vellet, quò

Aduentus Ioannæ ad Carolum Galliæ Regem.

veniret dicere paratam, comiter excipit, præſentibuſque regni proceribus dicentem audit. Hîc cùm illa eadem quæ dudum Baudricurtio, ingenti omnium admiratione expoſuiſſet, Rex ſuperiorum Regum modeſtiam religionemque ſecutus, rem totam ad auguſtius regni & procerum concilium defert. Erant in eo Pontificia atque Eccleſiaſtica dignitate illuſtres multi, multi Palatina nobilitate conſpicui, cana fide omnes & prudentia. Hi cum præſentis verba, habitum, oris effigiem, cuncta denique in illa admirarentur, adeò ſunt eius oratione commoti, recreatique; vt Rex qui fortunæ ornamentis deſtitutus, amiſſi regni ſpeculaturus euentus ad Delphinates ſe recipere cogitabat, vti inde conducta mercenaria militum manu bellum repararet; nulla interpoſita dubitatione, non modò bellum conſtantiſſimè ſuſtinendum, verùm etiam hoſtes, Duce viragine, audaciore conſilio, illatis armis præoccupādos eſſe decreuerit; quippe qui in illius generoſa

Spes aduentu Ioannæ Regi & Galliæ reddita.

mente vigere non tantum viriles, ſed humana virtute auguſtiores ſpiritus apertè conſpiceret. Maximè verò Regem ac proceres omnes in ſui admirationem adduxit, quod & quo die pugnatum erat ad Roboretum Diui Dionyſij rem fortunamque belli, nullo adhuc rumore nuncio Baudricurtio omnem nunciarat, & tunc neſcio quid arcani Regi ipſi, præſente eo qui confeſſione ipſum expiare erat ſolitus aperuit. Admirationem imprimis illud habuit quòd Regem qui inſigniorem offerebat enſem obteſtata ſit, vti alium quem ad vicum Turonenſis agri Diuæ Catharinæ fano nobilem aſſeruari diuinitus præſenſerat, ſibi iuberet adferri. Is verò illic inuentus eſt multo vetuſtatis ſitu rubiginoſus parte ex vtraq; (vt ipſa prædixerat) lilijs diſtinctus. Super hæc, illa primò Pictauium ad concilium quod vulgò Parlamentum appellatur, deducta eſt, vt eius quoque authoritate, quæ diceret comprobarentur. Cumque non ante dicenti fides habita fuiſſet, quàm

Sacer eius liliatus enſis.

quàm à compluribus & præſtantiſſimis Theologis examinata, prudentiſſimè & ſanctiſſimè reſpondiſſet; paulò poſt ad Aureliam obſidione ſoluendam, commeatumque importandum, cum exigua manu militum ire, ac ſui documentum dare iuſſa, armis fulgens, equoque inſidens, ac præferens ſignum militare candidi coloris in quo Chriſti imago lilium manu geſtantis conſpiciebatur, ſpectantibus hoſtium copijs vrbem cum commeatu intrepidè ingreditur, Angloſque vt ab obſidione recederent prius monitos, neque obſequentes, pluries adoritur ciuibus Aurelianenſibus quoduis cum ipſa periculum ſubire paratiſſimis. In ipſo ardore pugnæ, ictu ſagittæ inter humeros collumque vulnerata, neque pedem retulit, neque obligari vulnus paſſa eſt, pugnamque ex pugna, laudem ex laude adorta, acerrimè prælians ad octauum Idus Maij haſta gladioq; multos hoſtium proſtrauit profligauitque. Victi hîc Angli atque Aurelia liberata.

Commeatus, ſaluſq; Aureliæ per puellam importata.

Victrici puellæ honores acclamationesq;.

Ergo vbi hoste fuso fugatoque Ioanna ac cæteri Duces cum exercitu pleni honore & gratulatione in vrbem redeunt; ad hunc redeuntis exercitus triumphum lætitijs omnibus incedens, effusa omnis ciuitas obuiam procedit, mixti militibus ciues, vniuersos quidem Duces, at præcipuè Ioannam demirantur: in hanc oculos multitudo vniuersa, in hanc suspensa ora conuertit: hanc veluti de cœlo missam, & vt ipsam victoriam omnes contuentur: omnibus quos aut temporis aut virgineæ modestiæ ratio haberi passa est, honoribus afficiunt; liberatricem suam, expultricem hostium, vindicem Francicæ Maiestatis appellant, quæ pro Franciæ constituenda securitate, res humanis excellētiores confecerit: fœlicem eam tantæ expeditionis euentu, cuius bellica fortitudo, flos inuicti pudoris, calamitatis publicæ necessitatem penè ineluctabilem deuicerit. Factum Senatusconsultum, vt posteri diem hunc festum effuso omnium ordinum gaudio ludicrisq; cer-

taminibus prosequerentur.

Interea ingens tota Francia deleti Anglorum exercitus, liberatæque vrbis Aureliæ rumor dispergitur, mirari omnes, vnde tantæ Gallo redierint vires, antea iam propè victo, admiratio deinde paulatim in contemptum Anglorum vertit. Multæ vrbes de defectione consilia ineunt.

Carolus rebus cognitis, beneficium numini agniturus Deo Opt. Max. supplicationes decernit: Aula regia antea trepida, & de belli euentu sollicita, lætitia exultat, de Ioannæ virtute præclara vbique fama est. Gratiæ Deo habitæ.

Imprimis ab Aurelijs gratiæ verbis amplissimis Ioannæ aguntur, quod eius eximia prouidentia, prudenti consilio, singulari virtute vrbs periculis maximis sit liberata. Hinc Nothus Aurelius, Sanseuerus, Rayus, Hira, Grauillæus, Couloceus, Florentinus Dillierius, Corrazeus, Santrailla, Alanus Gironus, Iametius Tilloyus, Burgius Bara, Amadeus, & reliqui

militiæ præfecti, sua quisque laude ornantur, quòd eorum fortitudine fideliqué opera salui essent Aurelij. Ciues paratos se offerre pro ipsorum salute & gloria, sanguinem si ita res ferat, & vitam profundere, ne dum facultates & fortunas omnes prodigere.

Nec multò post Ioanna cum multis strenuissimis Ducibus vrbem egressa, ad Carolum se confert, vti cum eo de itinere Rhemensi, ac de belli gerendi ratione consilia ineat; venientem summo cum honore, & insigni munificentia Carolus suscipit, gratiam ei quam potest, habet maximam, primùm pro tanto tamque ardenti in rem Gallicam animo, deinde pro nauata tam forti, tam diligenti opera, quò rem Francicam receptam ex hoste, sua iterum sede saluam fundatamque statueret; nominatim pro liberata & ab hostiũ dominatu vindicata vrbe Aurelia.

Nobilitas eius Puellæ & cõsanguine-

Atque vt æternam gratiam æterno beneficio compensaret, ab eo puella Ioanna regio munere, nobilitatis iure, & insi-

gnibus ornatur; neque ipſa modò, ſed vterque parens, fratres ipſius tres, conſanguinei, & affines eorumque nepotes omnes vtriuſque ſexus ſeculis omnibus futuri, ijſdem nobilitatis titulis è vulgi ordine ſunt exempti. is à Rege concesſū.

Gratis me loqui aut ambitiosè ne quis exiſtimet, tibi hîc Lector repræsẽto ipſiſſimum diploma regium, quale latinis verbis conceptum in Pariſienſi Computorum Camera aſſeruatur. Tu tantum faue antiquitati & quam ſcis fuiſſe veritatis amantiorem quàm elegantiæ, noli ſpernere paulò horridius latina oratione, vt illo ſeculo ſic loquentem.

CAROLVS DEI GRATIA FRANCORVM REX, ad perpetuam rei memoriam magnificaturi diuinæ celſitudinis vberrimas nitidiſſimasq́; gratias celebri miniſterio puellæ Ioannæ Day de Donoremeyo caræ & dilectæ noſtræ de Bailliuia Caluimontis ſeu eius reſſortis nobis elargitas & ipſa diuina coope- Diploma Regium.

rante clementia amplificari speratas; decens arbitramur & opportunum ipsam puellam, & suã nedum eius ob officij merita, verùm & diuinæ laudis præconia totam parentelam, dignis honorum nostræ regiæ maiestatis insignijs attollendam & sublimandam; vt diuina claritudine sic illustrata nostræ regiæ liberalitatis aliquod munus egregium generi suo relinquat, quo diuina gloria & tantarum gratiarum fama perpetuis temporibus accrescat & perseueret. Notum igitur facimus vniuersis præsentibus & futuris quod nos præmissis attentis, considerantes insuper laudabilia grataq́ & commodiosa seruitia nobis & regno nostro per prædictam Ioannam puellam multimodè impensa, & quæ in futurum impendi speramus, certisq́ alijs causis ad hoc animum nostrum inducẽtibus: præfatam puellam, Iacobũ Day dicti loci de Dompremeyo patrem, Isabellam eius vxorem matrem, Iacqueminum & Ioannem Day & Petrum Pierelo fratres ipsius puellæ, & totam suam parẽtelam, & ligna-

gium, & in fauorem & pro contemplatione eiusdem & eorum posteritatem masculinam & fœmineam in legitimo matrimonio natam & nascituram nobilitamus, & per præsentes de gratia speciali, & ex nostra certa scientia ac plenitudine potestatis nobilitamus & nobiles facimus; concedentes expreßè vt dicta puella, dicti Jacobus, Isabella, Iacqueminus, Ioannes & Petrus, & ipsius puellæ tota parẽtela & lignagiũ, ac ipsorum posteritas nata et nascitura, in suis actibus, in iudicio & extra, ab omnibus pro nobilibus habeantur, et reputentur: et vt priuilegijs, libertatibus, prærogatiuis, alijsq́; iuribus quibus alij nobiles dicti nostri regni ex nobili genere procreati vti consueuerunt & vtuntur, gaudeant pacificè et fruantur. Eosdemque et dictam eorum posteritatem aliorum nobilium dicti nostri regni ex nobili stipite procreatorum consortio aggregamus; non obstante quod ipsi, vt dictum est, ex nobili genere ortum non sumpserint, et forsan alterius quàm liberæ conditionis existant, volentes

etiam vt ijdem prænominati, dictaque parentelæ et lignagium suprasatæ puellæ et eorum posteritas masculina, dum et quotiens eisdem placuerit, à quocunque milite militiæ cingulum valeant adipisci seu decorari. Insuper concedentes eisdem et eorum posteritati tam masculinæ quàm fœmininæ in legitimo matrimonio procreatæ et procreandæ vt ipsi feuda et retrofeuda, et res nobiles, et à nobilibus et alijs quibuscunque personis acquirere, et iam acquisitas ac etiam acquirendas retinere, tenere, et possidere perpetuò valeant atque possint, absque eo quod illas vel illa nunc vel futuro tempore extra manum suam ignobilitatis occasione, ponere cogantur; nec aliquam financiam nobis vel successoribus nostris propter hanc nobilitationem soluere quouismodo teneantur aut compellantur. Quam quidem financiam præmissorum intuitu et consideratione eisdem supra nominatis et dictæ parentelæ et lignagio prædictæ puellæ, ex nostra ampliori gratia donauimus et quictauimus, donamusq; et

quictamus

quictamus per præsentes; ordinationibus, statutis, edictis, vsu, renõciationibus, consuetudine, inhibitionibus et mandatis factis vel faciendis ad hoc contrarijs non obstantibus quibuscunque. Quocirca dilectis et fidelibus nostris gentibus computorum nostrorum, ac thesaurarijs, nec non generalibus et commissarijs super facto financiarum nostrarum ordinatis seu deputandis, et Bailliuo dictæ Bailliuiæ Caluimontis, cæterisq́ iusticiarijs nostris, eorumve loca tenentibus, præsentibus et futuris, et cuilibet ipsorum prout ad eum pertinuerit, damus harum serie in mandatis quatenus dictam Ioannam puellam, et dictos Iacobum, Isabellam, Iacqueminum, Ioannem, et Petrum, ipsiusque puellæ totam parentelam et lignagium, eorumq́ posteritatem prædictam, in legitimo matrimonio vt dictum est natam et nascituram, nostris præsentibus, gratia, nobilitatione et concesione vti et gaudere pacificè nunc et in posterum faciãt et permittant, et contra tenorem præsentium eosdem nullatenus

impediant ſeu moleſtent, aut à quocunque moleſtari ſeu impediri patiantur. Quod vt perpetuæ ſtabilitatis robur obtineat noſtrum præſentibus apponi fecimus ſigillum in abſentia magni ordinatum, noſtro in alijs, & alieno in omnibus iure ſemper ſaluo. Datum Magduni ſuper Ebram mẽſe Decẽbris, anno Domini milleſimo cccc^mo^ *viceſimo nono, Regni verò noſtri octauo, ſic ſign. Per Regem, Epiſcopo Sagienſi, Dominis de la Tremoilles & de Tremes & alijs præſentibus. Malliere viſa expedita in camera Computorum Regis XVI. menſis Ianuarij, anno Domini milleſimo* cccc^mo^ xxix. *Et ibidem regiſtrata libro chartarum huius temporis fol. CXXI.*

A. GREELLE.

Illud ipſum diploma regium libr. ſept. cap. vndec. de Republ. inſeruit Petrus Gregorius Tholoſanus quondam I. V. Profeſſor in Academia Cadurcenſi, Tholoſana & Pontimuſſana.

Nobilitatis autem inſignia Ioannæ,

fratribus, & omnibus vtriusque sexus cõsanguineis propter egregia & militaria puellæ facinora à Rege Carolo concessa, hæc perhibentur; *Scutum areæ cæruleæ impositum, ensis argentatus, cuius geminam aciem vtrinque stipent lilia aurea, cuspidem verò aurea amplectatur corona.* Testes Enquer. de Monstrelet in secundo volumine chronicorum, Richardus de Wasbourg in principio primi voluminis antiquitatum Galliæ Belgicæ. Bellefo-rest. in Carolo VII. Stephanus Paschasius lib. 2. disquisition. Gall. cap. 15. in fine. Andreas Theuetus in cap. 25. libri 4. de vitis illust. virorum, & nouissimè Ioannes Sauaronius in tractatu ensis Gallici. Hinc Claudius Paradinus inter sua symbola Heroica pręfata insignia his verbis retulit. *Ensem coronatum inter duo splendicantia lilia quondam à Viragine illa Aureliana in vexillo militari gestatum immortale monumentum esse protectionis regni Gallici.* Cum verò Rex Carolus, Ioannæ & fratribus alijsque consangui-

Insignia Ioannæ & consanguineis concessa.

neis Lilia in insignibus concessisset, ei insuper placuit vt omisso cognomine Darc, fratres Ioannæ & alij consanguinei ex virili sexu propagati cognominarentur du Lis. Sicque nobilis, clarissimus, consultissimusque Dominus Carolus du Lis Regius in Parisiẽsi Subsidiorum Curia Consiliarius atque Aduocatus Generalis, (cuius paulò ante memini) meritò hoc modo cognominatur, cum à tertio fratre Ioannæ, Petro du Lis Equite, in directa linea masculina originem traxerit suam, quod pluribus instrumentis quæ apud eũ extant vt oculatus testis profiteor, probari potest: vt item in disquisitionibus suis Gallicis vltimæ editionis testatur, Eruditissimus vir Stephanus Paschasius nempe in fine capitis VIII. libri quinti, & doctissimus Dominus Carolus de la Saussaye Ecclesiæ Aurelianensis Decanus meritissimus in eiusdẽ Ecclesiæ annalibus quos propediem in lucem est emissurus.

Statua ad Aureliæ Regis beneficentiam magno studio imitata omnis Gallia est. Aurelianenses

accepti beneficij, & tantæ fortitudinis memores, edito in loco, ad pontem quē Ligeris ſubterlabitur, æream Puellæ ſtatuam armati militis habitu locauêre, quā anniuerſarijs laudibus ſingulari pietate concelebrant. Galli reliqui receptæ libertatis non immemores dictam Virginem vbique pictam grata & familiari memoria coluerunt teſte Egnatio lib. 3. cap. 2. Nec immeritò cum in ea extitiſſe ſingularem planè ſanctitatem oporteat, cui nec imbecillitas ſexus arma ſubduxerit, nec arma Virginitatem, neque virile robur virginitas. Pulchrè Diuus Ambroſius can. 1. 32. q. 5. *Virginitas, Dei templum eſt, qui eam habet fortitudinem habere conuincitur*. Simillima D. Auguſtinus libro primo de ciuitate Dei cap. XVIII. *Tanta eſt vis probitatis & caſtitatis, vt omnis eius laude moueatur humana natura, & virginitas virtus eſt animi comitemq́ſecum habet fortitudinem.* can. ita ne aliquem ead. qu. & cauſ. Huic itaque virgini libenter tribuero illud Boëtij libro

pontem Ioannæ poſita.

Fortitudo virginitatis propria.

primo de consolat. nullum terrorem potuisse eam peruertere, solamque castitatem, quam Deo Opt. Max. vouerat, eam victricem & admirandam reddidisse: vt propterea Humbertus Monmoretana libro sexto bellorum Britannicorum hos ei versiculos appositè adscripserit.

Virgo pudicitiæ specimẽ, gratissima mũdo,
Grata polo, quam blãda Venus, mollisque Cupido
Flectere non potuit.

Valerandus certè Varanius Doctor Theologus Parisiẽsis, qui Ioannæ res eleganti descripsit carmine, testatur ad finẽ primi libri Reginam Siciliæ Caroli Regis socrum, per obstetrices inquiri curasse, vtrum Ioanna re quemadmodum nomine puella esset, & virginitatis intemerata claustra in ea fuisse inuenta.

Carleæ vxoris genitrix tentare pudorem
Constituit, veteres non ignarasq; negoti
Matronas iubet exquiri, sed pura refulsit
Corporis integritas. &c.

Itaque opinor, si quispiam antiquita-

tem totam perlustret, ac peruestiget, exẽplum huic simile reperiet nusquã. Commendatur hæc virgo, quod ensem strinxerit, in acies armatas hasta incurrerit, reperiemus fateor hoc illi esse commune cum multis; magnum censebitur quod exercitus ductauerit, hoc etiam fœminæ aliquot egere, sed quæ cum hisce laudibus, regnum omnium Christianissimum florentissimumque penè omni dignitate & salute euersum sustinuerit, erexerit, restituerit consilio manuque in antiquum ac celebre decus, id sanè solius est Ioannæ Puellæ. Potuit Tomyris Scytharum Regina siue suo siue suorum consilio incautum pertrahere in insidias Cyrum, & eius exercitum profligare, sed & maritum passa erat, & an sua industria id perfectum sit ignotum est. Neque verò ensem vibrasse legitur, neque regnum nacta est rebus omnino desperatis, vti neque Zenobia illustrissima Palmirenorum Regina, quã deuictam duxit Aurelianus in triũphum. Quod si Valaschæ Bohemicæ gesta sunt

Ioanna fœmineæ virtutis bellicæ singulare exemplũ.

vera, laudes quodammodo Ioannæ assequeretur, si vel tot vrbes cepisset, vel aduersus bellicosissimam nec minus armis quàm consilio & opibus instructam tunc Anglorum gentem pugnasset, non aduersus homines belluino potius impetu incitatos, quàm humanis directos consilijs, aut denique si Bohemicum regnum tanti tunc fuisset, quanti Francorum & Galliæ totius. Virginem quoque nostram longo interuallo consequuntur Maria Puteolana Virgo cuius meminit Petrarcha laudesque recenset libro quarto epistolarum. Vrsina Taurella, Montisfortis Comitissa, Orietta Auria, quæ omnes cũ armis in acie steterunt, hostes feriendo, fugando, occidendo, commemorante illarum decora Baptista Fulgosio capite secundo libri tertij factorum dictorumq; memorab. Et Orietta quidem cum classis ingens Amurathis Turcarum Imperatoris insulam Lesbum obsedisset, oppidanique viribus atque omni re ad obsidionem sustinendam deficientibus deditio-

nem

nem ſpectarent, ipſa abſente Catalufio viro inſulæ domino armata in medium proſilijt, cunctoſque viriliter hortata incredibilis audaciæ exemplo eruptione facta ſtans, ac procurrens, in acie prima tãto impetu in Turcas incurrit, vt eos fuderit, ac maxima ſtrage edita in claſſem ſe recipere coëgerit, inſulamque liberarit: quod poſt alios Hubertus Foglietta in elogijs teſtatur.

Iam etſi Romani Clæliam ſuam ſummis laudibus extollant, aliæque nationes ſuas fœminas virtute præſtantes mirificè prædicent, ægrè ex omnibus parem Ioannæ vllam proferent. De fœminis autem Alemannis quæ ad expeditionem Hieroſolymitanam ſunt profectæ, audire licet Nicetam Choniatam Græcum, illorum temporum ſcriptorem qui vidit exercitus ipſos, inter quos, inquit, & mulieres erant non coniunctis pedibus, ſed virorum inſtar diuiſis, ſuper pallijs equitantes, haſtatæ atque armatæ, ac virili habitu ornatæ, Martio vultu, Amazonibus auda-

ciores; in quibus etiam vna excelluit quasi altera Penthesilea, quæ ob limbum vestium auro intertextũ Auripes vocabatur. Hæc ille libro primo de rebus gestis Manuelis Comneni, Imperatoris.

Sed hæc communia nobis cum multis, illud singulare vt fatiscenti ærumnis Christianissimo ac bellicosissimo regno, Christiana virago vna diuinitus submissa reddiderit Gallis bellacem animum, robustum hostem tota penè Gallia iam victorijs exultantem, regnantem in ea, ac ius populis dicentem, confidentem in vrbe regni Principe media è Gallia occupatoque regni solio depulerit.

Bellatrix audensq́; viris cõcurrere virgo.

Pressa nõ oppressa Ioannæ virtus.

At, ô iudicia Dei abyssus multa! quæ puellaris fortitudo Galliam vniuersam bello fractam erexerat, recrearatque, eadem diuino permissu, puellæ vindici exitium attulit. Credo vt quæ in vita fortitudinis exemplar fuerat, esset & in morte constantiæ; vtque delapsa in manus hostium, eminente etiam inter eos eius in-

nocentia, & tum illibati pudoris, quem neque hoſtis calumniari poſſet, tum diuinæ miſſionis veritate, illuſtriorem Dei gloriam faceret, ipſa ab impotenti animi tumore, periculoſiſſimo virtutis hoſte ſeruaretur.

Rem vt paucis abſoluam, huius Mauortiæ Virginis tot, tam præclara ſtupendaque facinora, cum ex omnibus ſeculis neque viſa, neque audita omnes demirarentur; cumque Compendium ab Anglis obſideretur, illa cum pugnatoribus circiter quingẽtis eruptione facta in manus hoſtium venit, qui ſummo in eam liuore ſuffuſi, odioque iniquiſſimo inflammati, fortitudinem puellæ diuinam, magicis artibus tribuentes, nouo nec vllis retrò ſeculis audito crudelitatis exemplo, eam innocentem concremarunt. Petro Cauchonio Bellouacorum Epiſcopo Anglorum fautore, hunc illi exitum vitæ procurante, ingenti, & Anglici nominis probro, & vniuerſæ Galliæ luctu ac mœrore; Cauchonij autem maleficij aucto-

Vitæ integritas constanti morte coronata.

ris breui poſt, ab Eccleſia proſcriptione, quem eam ob rem excommunicatum eſſe à Calixto ſummo Pōtifice aſſerit Franciſcus des Rues, in deſcriptione antiquitatū Galliæ, dum de Compendio ei ſermo eſt; ſenſim denique in peius prolabente re Anglica, refloreſcente Gallia, ac puellæ Ioannæ gloria ſeſe ad poſteros immortaliter propagante.

Exegi breuiter hiſtoriæ fidem; tota vt paucis comprehenſa, quaſi vno aſpectu cerni poſſit. Nūc ne quis me animo meo honorive gratificantem liberius putet, aut cōfinxiſſe aut diſſimulaſſe quidpiam, tum vt coacta in anguſtum, explanatius deducta, ſuis adiunctis, & circunſtantijs magis eluceſcant; ſubijciam ingentem vim teſtium, quorum ex ore, quiſque, & hiſtoriæ fidem, & puellæ Ioannæ integritatem, atque innocentiam, & de re tota antiquitatis iudicia recognoſcat. Stylo varij erunt fateor, quippe aut ſuo, aut Interpretum ſermone loquentes, ſed tanto, opinor, æquius fecero, quanto integrius

Teſtium rei narratæ ſumma copia & authoritas.

ſua illis per me conſtabit integritas. Sunt enim ferè huiuſmodi, vt vel eo tempore ipſo quo Ioanna vixit, vel paulò poſt, Eccleſiæ lumina, Reipublicæ columina, ſcientiarum ornamenta, & virtutum præſidia fuerint.

Pontifices & Theologi.

Primus eſto Æneas Syluius vir eruditione ac prudentia inſignis qui & Pontifex Maximus ob virtutes ſuas poſtea creatus, Ioannæ coętaneus hoc de ea elegans elogium profert cap. XLIII. deſcriptionis Europæ. *In regno Franciæ, noſtra ætate, Ioanna, Virgo Lothoringenſis, diuinitus (vt credunt) admonita, virilibus indumentis, & armis induta, Gallicas ducens acies, ex Anglorum manibus magna ex parte (mirabile dictu) prima inter primos pugnans victoriam eripuit.* I.

Syluio par ætate Diuus Antoninus Florentinus Archiepiſcopus ex Dominicanorum fratrum ordine aſſumptus, in tertia parte hiſtoriali capite IX. titulo XXII. §. 7. *Tunc obtulit ſe* (inquit) *Regi Franciæ, quædam puella filia Ruſtici aſſueta pa-* II.

ſcere gregem dicens ſe miſſam ad iuuādum exercitum eius, ætate octodecim annorum vel circa quæ milites in multis inſtruebat in bellando, & ciuitates capiendo. Hæc equitabat aptè, vt miles in exercitū ibat, cum eis inſidias inimicorum detegebat, & modum ad capiendas ciuitates docebat, & multa alia admiratione digna agebat. Quo autem ſpiritu ducta vix ſciebatur, credebatur magis ſpiritu Dei, & hoc ex operibus ſuis; nihil enim inhoneſtum in ea videbatur, nihil ſuperſtitioſum, in nullo à veritate fidei diſcrepabat. Sacramenta confeſſionis & communionis frequentabat & orationes. Et poſt multas victorias Regis Franciæ, capta ab hoſtibus occiſa eſt. Deinde pax facta eſt inter eos, poſt millia millium vtriuſq; partis occiſorum & regiones vaſtatas & deſolatas.

III. Tertius ſacris infulis ornatus Paulus Iouius Nouocomenſis Epiſcopus Nucerinus in Britanniæ deſcriptione, vbi Henricum Regem ab formæ elegantia, viribus corporis animique bonis commen-

darat. *His tãtis,* ait, *virtutibus vna castrẽsis gloria deerat, concepta iam animo ingenti, adauctaq́ Anglorum studia quæ sua consuetudine bella prælia trãquillitati atque ocio præferebant, odio scilicet illo in Gallos à maioribus tradito deflagrantes, à quibus se Galliæ regno & tota ferè continente pulsos indignabantur, & quod ignominiæ nomine in fortibus viris iras accendebat, Puella præsertim Duce quæ miraculo quodam excitatis Gallorum animis, fœlici ausu superiores victorias atque illa decora Anglicæ virtutis trophæa penitus euertisset.*

IIII. Arnaldus Pontacus Episcopus Bazatensis libro 2. chronographiæ refert è vetere memoria, *Ioannam puellam annorũ circiter viginti natam, Aureliam vrbem obsidione Anglorum liberasse anno 1 4 2 8. & eius auspicijs multa prælia fœliciter à Francis gesta esse.*

V. Ab his dignitate Principibus ponam proximè Iacobum Philippum Bergomensem, Ordinis Eremitarum diui Au-

guſtini, quòd eius teſtimonium rem de qua agitur omnem luculenter confirmat, illuſtratq;. Is de ea ſcribẽs in lib. de Claris Mulier. cap. 157. ſic ait. *Ioanna virgo Gallica natione Lothoringenſis: circa annum ſalutis noſtræ 1429. in puellari adoleſcentulaque ætate diuinitus (vt creditur) ad multa facinora obeunda præelecta: in metropoli Rothomagẽſis ciuitatis, cum quartum & vigeſimum tantummodò ageret annum, in ſumma caſtitate deceßit igne cremata. Hæc itaque in primis obſcuris & humilibus parentibus cum procreata eſſet, nihilominus in tota vita inuicti animi princeps extitit victorioſa. Cum à principio magnam ætatis ſuæ partem inter pecora egiſſet: vbi cum ſuis ſodalibus, cum quibus paſcendo pecora obuerſabatur, ſæpius curſum exercebat: & modò huc atque illuc illi frequens curſus erat: & aliquando currendo haſtam vt fortis eques manu capiebat, & arborum truncos validißimis vulneribus percutiebat. Plerunque etiam aliquam ex equabus quæ in grege paſcebatur, viriliter*

viriliter ascendebat, & hasta brachio supposita currendo ictus validos inferebat: & qui illam inspectabant, magna animi voluptate & admiratione afficiebantur. Per huiusmodi autem exercitationes mulier euasit fortißima. Erat breui quidem statura, rusticanaq; facie, & nigro capillo, sed toto corpore præualida: quæ per omnem vitam suam, illibatam seruauit virginitatem, & religionis apprimè custos extitit. Eius sermo satis ex more fœminarum illius patriæ lenis erat: quem sani eius mores plurimum honestabant. Tam rectus illi sensus, tamq́; integer, vt ibi educata, ibiue enutrita crederetur: vbi summa prudentia & omnis consilij ratio vigere videretur. Ea igitur tempestate Henricus Anglorum Rex, atrox bellum Carolo eius nominis septimo Francorum Regi intulerat, idemq́; maiorem regni sui partem ademerat: & iam Aurelianam primariam sui regni vrbem summa vi oppugnabat: & eius vrbis quotidie grauißima erat oppugnatio, eo quod vndique circunsessa erat,

nec aditus ostendebatur quo posset talis obsessio solui: in ea quippe omnis regni spes vertebatur: qua quidem amissa de toto regno Galliæ actum esse videbatur. In hac ergo difficultate Rex constitutus, & angore animi incertus angebatur: nec quod consilium sequeretur, rationem vllam inire poterat. Tum hanc virginem, dum hæc agerentur, contigit pascendo pecora in sacello quodam vilissimo, ad declinandam pluuiam obdormire: quo in tempore visa est se in somnis à Deo qui se illi ostenderat admoneri, tumq́ue sextum & decimum tãtummodò agebat annum. Qua admonitione permota, cõfestim grege omisso quem pascebat: in castra ad Regem est profecta. Quæ cum ad eius tentorium peruenisset: præfata est velle se de rebus maximis cum Rege loqui, quod prædicaret se diuinitus à Deo missam. Primores & Cubicularij aspernabantur puellam quod cultu & corporis habitu vna ex agrestibus esse, sicut erat, videretur: vnde eam duris verbis atque asperè increpabant, quod tam audax,

tamq́ petulans & temeraria esset: vt tantum Regem stulta & subrustica adire & alloqui præsumeret. Illa nihilominus à Deo confortata & impulsa, in proposito perseuerans, instanter expostulabat ad Regem ingredi licere, quum se magna sibi afferre diceret & seria, non vtique leuia aut minimè ludicra. Quibus ex rebus permoti aulici, eam demum ad Regem introduxere. Introducta autem ad Regem Pulcella Janna, quum ad ipsius genua procidisset: Maiestatem regiam ex more, omni cum reuerentia salutauit. Salutatoq́ Rege, primoribus cunctis palam audientibus: sic locuta est. Gloriosissime Rex: ego ancilla tua minima, omissa mei gregis custodia, cui tãquam vna ex agrestibus præeram, omnipotentis Dei imperio, ad opem tibi ferendam, qua regnum tuum amissum recuperes, huc impigrè accessi: diuinoq́ iussu, ducem totius tui exercitus, moneo me declarari iubeas. Nec mireris quod puella inops & agrestis, & huiusce vilissimæ sortis huc prodierim, ausaq́ fuerim tantum impe-

rium suscipere: quia omnipotenti Deo sic visum est, infirma & contemptibilia eligere, vt fortia confundat. At Rex horum verborum grauitatem secum reuoluens, ilico tacitus & mirabundus ad primarios suos sustulit oculos. Eademq́ admiratio cæteros obstupefecit proceres, submissa voce dictitantes: hoc certè diuinum, non humanum esse consilium. Rex autem inquit. Pulcella, ingenuè profiteris te à Deo mihi omnino in auxilium missam esse. Sed qua ratione? Tu fœmina es admodum adolescentula, rerum omnium inexperta; & quomodo præsumis tibi tanti muneris, tantiq́ exercitus assumere administrationem? Hoc vtique tui non est officij & ætatis tenellæ munus, sed iure militari peritißimorum, exercitatißimorumq́ virorum. Itaque moneo semel atque iterum, vt videas etiam atq́ etiã quæ afferas & quæ apportes. Constanti vultu & intrepido confestim respondit. Maxime rex obsecro, ne plura percunctari pergas, Deus à quo missa sum, huic tuæ neceßitati consulet, nec peto teras

vltra tempus, si chara tibi est tui regni incolumitas. Et vt verum intelligas, accipe quæ submotis arbitris tibi dicam. Postquã verò cum Rege locuta est, Rex propè stupefactus & incertus quid responderet. E vestigio illam totius sui exercitus ducem enũciauit, cunctis primoribus acclamantibus. Res propè incredibilis & inaudita, & maximo spectaculo digna, si animaduerteris tot Principes, Regemq́ ipsum in bellis exercitatißimos, sese imperio adolescentulæ sedecim annos natæ subijcere, quæ ex ouium & suum vel porcorum gregis excepta fuerat: videre eam virilibus indumentis & armis indutam Gallicas ducere acies. Igitur postquam Ianna hæc virago, totius regij exercitus declarata est Imperatrix: mandauit Rex, coruscantia arma necessaria eidem statim dari, equumq́, fortißimũ admoueri, faleris alijsq́ ornamentis mirificè coopertum: quem cum ascendisset, etiã galea suo capiti superinduta, capilli capitis sui per humeros dispersi dependebant. Cumq́ taliter indutam & armatam om-

nis spectaret exercitus, & equo intrepidè insidentem: visa est omnibus eques quidã è cœlo demissus. Quæ cum parte copiarum terrestri itinere equo inuecta, contendit ad Aurelianam vrbem obsidione soluendam: Rex verò cum omnibus alijs copijs, suisq́ primoribus Principibus strenuißimis: ad Rhodanum flumen castra castris opposuit. Ipsa autem cum ad hostem peruenisset, extemplò manum summa vi conseruit. In quo quidem conflictu, & prælio, dux totius hostilis exercitus cum decem millibus Anglorum è vestigio fuit interfectus, & triũ horarum spatio, tria hostilia recepit munitißima propugnacula. Quo viso: Rex omnem suum exercitum validißimum ad liberandam vrbem admouit. Atq́ ita intra quatriduum ipsa ciuitas (hoste pulso) cum maxima huius adolescentulæ gloria, obsidione liberata est: quod potius diuinũ quàm humanum factum omnes reputarunt & crediderunt. Hanc quidem rem gestam quidam optimus & locuples testis, vir clarißimus, nomine Guilielmus Gua-

ſchus ſeriò mihi expoſuit: tunc regius aulicus, prout audierat & viderat. Poſtquam hoc per octo annos continuos, tricies cum hoſte iuſto prælio conflixit. Ex quibus ſemper ſuperior glorioſa diſceßit: capto, maxima cum ipſius gloria atq; triũpho, Anglorum ſtrenuißimo Imperatore, quem ſuo Regi vinctum tradidit. Quibus geſtis, regem ipſum Carolum ouãtem Rhemos perducens, ex more à ſuis proceribus inunctus & conſecratus eſt Rex: quod antea minus facere poterat. Inunctus itaq; Rex atq; ex more corona donatus cum maxima omnium lætitia, ſuiq́; gloria atq; triumpho: in templo ea aſſociante eſt præſentatus. Vetere enim lege non licet Francorum Regem alibi, quàm ea in vrbe conſecrari. Cum omnia Gallorum Regum inſignia, ibidem poſita reſeruentur, quæ videlicet adhibentur rege coronando: in primiſq́; ſacra vnctio, è cœlo demiſſa. Hæc igitur Ioanna pulcella virgo, cum magnam gloriam in armis eſſet adepta, & regnum Francorum magna ex parte deperditum, è manibus

Anglorum pugnando eripuiſſet, in ſua florenti ætate conſtituta: non ſolùm ſe morituram, ſed & genus ſuæ mortis cunctis prædixit. Nam ab ipſis Anglis tandem in prælio capta, & ad Rhothomagenſem vrbem violenter perducta: ibidem ab ipſis & ipſorum Rege, veneficij & artis magicæ vitio incuſata, ſæuiſſima ignis morte demum damnata eſt. Et hic tantæ Virginis vitæ finis fuit: quo quidem atrociſſimo ſupplicio, hæc tam inauditæ virtutis mulier indignè occiſa eſt. Poſt multos autem annos, Carolus ipſe optimus ſanè Rex, Rhothomagenſiũ vrbe recepta, eo in loco vbi atrociter concremata fuerat Ianna Pulcella, pro monumento & titulo puellaris decoris, crucem æneam & quidem eminentiſſimã inauratãq; poni iuſſit. Ludouicus autem rex poſtea patri ſuccedens, ægrè admodum ferens mortem tam indignam tantæ Viraginis, à Pio Pontifice Romano eius nominis ſecundo impetraſſe fertur: vt duos Iuriſperitos in Galliam mitteret: qui iterato diligentius illius cauſam & vitam cognoſce-

cognoſcerent. Qui vbi in Galliam demum perueniſſent, ilico duos ex falſis conſiliarijs & iudicibus ſuperſtites ad ſe citarunt. Qui poſtquã cauſam huiuſmodi accuratè diligenterq; omnem cognouiſſent: deprehenderunt planè mulierem innocẽtiſsimam falsò fuiſſe damnatam, ac omnia conficta contra ipſam extitiſſe: quæ videlicet de veneficio aut arte magica aduerſus illam crimina dicta fuerant. Quinimo omnem eius vitam, tam præclaris geſtis ita æqualiter conſenſiſſe, nec quidpiam ab ea vnquam admiſſum, quod religionem vlla ex parte violare potuiſſet. Quas ob res vtroſq; eodẽ mortis ſupplicio affecerunt: quo ipſi innocentiſsimam virginem diu ante promulgauerũt atq; damnarunt. Atq; huic damnationi additum eſt, vt duorum aliorum iudicum mortuorum oſſa, è ſepulchris effoſſa, igni ſimiliter cremarentur. Eoq; loci vbi hæc virago extiterat cõcremata, templum poneretur, & ex reliquis prædictorũ bonis quæ publicata fuerant, ibidem ad Dei ſummi honorem, ipſiusq; defunctæ

propitiationem: quotidianum ſacrificium inſtitutum eſt. Itaq; hoc modo huic admirabili fœminæ decus omne recuperatũ eſt. Quibus quidem meritis & inauditis facinoribus, Ianna hæc Pulcella, meritò à nobis claris mulieribus venit hîc applicanda.

VI. Extat libellus Germani cuiuſdam Laudayani anonymi Clerici qui inſcribitur Sibylla Francica, ſeu de admirabili puella Ioanna Lotharinga paſtoris filia ductrice exercitus Francorum ſub Carolo VII. in cuius primi rotuli principio habentur hæc verba. *Exorto nuper rumore aures audientium qui titillat, de quadam Sibylla in regno Franciæ, quæ exorſa eſt prophetari fama rutilante fulgida, bonæ odore opinionis omnium reſperſa, vita, moribus, & conuerſatione ſpectabilis; quam vulgus ſanctitate dicit fulgere; doctam quoq; ad bella & præliorum euentuum præſciam.*

Prouectus eodem rotulo longiùs de hac ipſa puella hæc addit; *Frequenter purgat & luſtrat conſcientiam per puram cõfeßionem, & roborãtur in virtute ſpiritus*

ſapientiæ in Euchariſtiæ perceptione, conuerſatione humilis, modeſta & bonis conſentiens, rapinam pauperum valde deteſtatur, pupillorum orphanorumq́ depreſſionem. Quare honoris ſtatum in Francia obtinet.

Idem ſub finem ſecundi rotuli anno M. CCCC. XXIX. conſcripti ita memorat. *Iſta Virguncula in regno Franciæ Sibylla laudatur ab omnibus, in profeßione fidei Catholicæ, & in cæremonijs inuenitur ſuffulta. Sacramēta Eccleſiaſtica valde veneratur, vita laudabili conuerſatur, religioſa in actis, & agendis, in nomine S. Trinitatis cuncta opera quantumcunque grandia aggreditur; & ad finem perducit optatum, firmans pacem, pauperum tollens inopiam, iuſtitiam ſectando diligit, nihil vanitatis mūdi, neq; pomparum aut diuitiarum exquirit.*

Hîc te appello prudens Lector; Qui de Ioanna ei contemporalis iſta ſcribat, & ſcribat ex communi fama & ſermone; nonne ab integerrima vita & Chriſtianiſ-

ſimis moribus Chriſtianam virginem, omni poſteritati, omni æquo rerum æſtimatori ac iudici ſuſpiciendam commendat?

VII. Septimus haud leui authoritate Ioannes Nider Sueuus, ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Profeſſor & hæreticæ peſtis inquiſitor in ſuo inſigni libro de Maleficis & eorum deceptionibus cap. 8. de hac bellatrice virgine ita teſtatur. *Infra decem annorum ſpatia nouiter in Frãcia quædã virgo Ioanna nomine tam Prophetico ſpiritu, quàm miraculorum poteſtate, vt putabatur clarens. Hæc enim veſte virili ſemper vtebatur, nec vllis Doctorum quorumcunq; perſuaſionibus emolliri potuit, vt tales deponeret veſtes, fœmineis contenta, præſertim cum ſe palam virginem, & fœminam eſſe proteſtaretur. Sub hoc inquit habitu virili in ſignum futuræ victoriæ, vt verbo prædicam & habitu, à Deo miſſa ſum iuuare verum Francorum Regem Carolum & in ſuo firmare regno, à quo eum fugare nituntur Rex Angliæ &*

Dux Burgundiæ. Pro tunc enim hi iuncti mutuò cædibus & armis Franciam premebant grauißimè. Igitur cum ſuo Domino Ioanna continuò velut miles equitabat, futura & fauſta multa prædicebat, victorijs bellicis intererat, & alia mirabilia perpetrabat: de quibus ne dum Francia, ſed omnia Chriſtianorum regna ſtupebant.

Non diſſimilia Ioannes Nauclerus Præpoſitus Tubingenſis qui in ſecundo volumine chronographiæ, generatione 48. ſic habet. *Anno Domini 1429. venit ad Regem Carolum in Franciam, quædam Puella plebeia ex Lotharingia, quæ aſſeruit ſe miſſam à Deo, vt per ipſam dictum regnum quo Rex erat ferè deſtitutus, ad eius obedientiam reducatur. Erat raſo capite ad modum viri & volens ad tumultus bellicos exire, veſtibus & armis virilibus induebatur, rediens autem de bello, habitum muliebrem reaſſumpſit. Rex in tanta perturbatione faciliter credulus, Máreſcalcum & nonnullos alios ſibi adiunxit, auxilium laturus Aurelianis obſeßis, vbi* VIII.

Puella Anglicos ab obsidione repulit, & quendam magnum Angliæ Capitaneum occidit. Aurelianis liberatis, Anglicos Frãci insequuntur duce Puella, & oppidum Gergeum capiunt, Anglos trucidant, deinde Talebotum Capitaneum supremum abeuntem insequuntur, & commisso prælio territi Anglici fugiunt, ac sternuntur. Rex Carolus deinde multo nobilium & Baronum comitatu stipatus ingreditur Rhemos, & illic coronatur, in regemq́ inungitur. Post coronationem Soisson, Castrum Thierri, & alia loca vsq; ad S. Dionysium in Francia, per Anglos occupata ad obediẽtiam reducit: nã Dux de Bethford pro Anglicis locum tenens iuerat Rothomagum, pro munienda Nortmannia. Itaq; Rex etiam S. Dionysium recuperat, & tunc læsa fuit puella iuxta Parisios, rex deinde ibat versus Bituriges. Anno Domini 1 4 3 0. obsesso Compendio capta est puella supradicta, per quendam Picardũ qui vendidit eam Anglicis & Anglici eam Rothomagi occiderunt incineratam.

Sed & de Gallis & de Gallorum adiutrice Ioanna, multò etiam honorificentius, Magiſter Henricus de Gorckein in principio libri primi de puella militari Francorum ita ſcribit: *Tulit me Dominus cum ſequerer gregem, & dixit mihi Vade & prophetiza ad populum meum Iſrael, Amos 7. Populus Iſrael populus regni Franciæ non incongruè poteſt ſpiritualiter nuncupari, quem fide Dei & cultu Chriſtianæ religionis notum eſt ſemper floruiſſe. Ad Caroli VI. Regis filiū quadā iuuēcula paſtoris cuiuſdā filia, quæ & ipſa gregem ouiū ſecuta fertur, acceßit, aſſerens ſe miſſam à Deo quatenus per ipſum dictum regnum ad eius obedientiam reducatur. Ne autem ipſius aſſertio reputetur temeraria, etiam ſignis ſupernaturalibus vtitur, ſicuti reuelare occulta cordium, & futura contingentia præuidere. Refertur inſuper quod ſit raſo capite ad modum viri, & volens ad actus bellicos procedere veſtibus & armis virilibus induta, aſcendit equum, quæ dum in equo eſt, ferens vexillum, ſta-* IX.

tim mirabili viget industria, quasi peritus Dux exercitus, ad artificiosam exercitus institutionem. Tunc quoq; sui efficiuntur animosi: è contra verò aduersarij timidi, quasi viribus destituti. Vbi autem de equo descendit, solitum habitum reassumens, fit simplicissima, negotiorum sæcularium quasi innocens agnus imperita. Fertur etiam quod vixit in castitate, sobrietate, & continentia, Deo deuota: prohibens fieri occisiones, rapinas, cæterasq; violentias, omnibus his, qui ad dictam obedientiam se volunt exhibere. Propter hæc ergo & similia, ciuitates, oppida & castra se submittunt regio filio, fidelitatem sibi promittentes.

Et paulò post idem Magister Henricus de eadem Puella loquens hanc assertionem subijcit: *Hanc filiam à Deo specialiter missam ad ea quæ non humanitus sed diuinitùs fiunt opera, cui fides est adhibenda.*

x. Præclarissimè autem maximèque ad Theologicas rationes Dei in re nostra consilia

consilia explicans, Iacobus Meyerus Baliolanus & Sacerdos Brugensis, lib.16. annalium Flandriæ rem & iudicium suum sic adscribit. *Principio Martij anni 1428. accessit ad Carolum Regem apud Chinonẽ agentem Ioanna illa virgo Gallica annos nata circiter 18. dicta ob intactum pudorem Puella, equisonis instar solita custodire & adaquare equos, pauper tamen & modicis orta parentibus. Hæc se diuinitus afflatam dicebat, pulsuram se Anglos ab vrbe Aurelianensi Regemq; perducturam in Remos ad sacram vnctionem. Irrisa primùm habitaq; pro fatua: tandem tamen, morum suorum sanctimonia ac prudentia fidem fecit, ac quidquid verbis erat pollicita factis compleuit. Quis non videt hoc Dei fuisse opus? Quis dubitare potest quin facta hæc sint per immensam Dei clementiam? Ipse enim est qui non in perpetuum irascitur, neq; in æternum comminatur. Regem vehementer pœnituit morũ anteactæ vitæ, quotidieq; precibus ac lachrymis veniã à numine postulabat. Cre-*

Ioanna puella Franciæ.

Eiusdem promissa.

Deus misertus Gallorũ misit illis Ioannam regni vindicem.

bras ſupplicationes per omnes regni Eccleſias indixit. Crediderim per Gallias pios fuiſſe homines, quorum preces erant ante Deum exauditæ. Dederat enim Gallia horrendas pœnas adeò vt à nemine perſcribi ſatis poſſent. Oſtendere Deus Opt. Max. volebat, ab ſe vno omnem dari victoriam. Eam per fœminam, per ſexum fragilem velle operari, quo vanitatem ſuperbiamq; Gallicæ Anglicæq; gentis retunderet, ne diutius ſuis duntaxat fiderent viribus, ſuæ inniterentur prudentiæ, ſed à cœlo petere victoriam diſcerent, eamq́; nec ſibi nec ſuæ fortunæ, ſed ſoli numinis benignitati aſcriberent.

Et paucis interiectis, latius in Ioannæ res geſtas, tanquam in apertiſſimum diuinæ gloriæ campum eleganti oratione ingreſſus eas earumque euenta ſic oculis ſubijcit.

Finis Anglicæ fœlicitatis.

Hic finem capit fœlicitas Anglorum in Gallijs. Huc vſque nemo illorum telis reſiſtere valuit. Hactenus non vinci, ſed vincere ſueti. Grandis nunc mutatio, in

qua virtus, robur, fortuna, victoriaq; illorum abiit retrò, vt manifesta appareant opera Dei, vt intelligamus, quàm fortes fœlicesq; sint à quibus stant numina, contrà quàm debiles & elumbes quibus cœlum non fauet. Aurelianenses verò iam fame propè domiti, ita rerum omnium laborabant penuria, vt in extrema agerent necessitate: quibus omni humano destitutis auxilio, diuina benignitas succurrit: quod homo non potuit, Deus suppleuit. Ioanna virgo Dux Gallorum non ascita, non creata, non electa, sed à Deo data, potestate à Rege accepta, copias quas potest adunat, copiosum omnis generis commeatum inuitis hostibus, in vrbem importat. Dehinc eruptionem fortissimè facit, omnes munitiones, vallos, fossas, palos, aggeres, excitata castella tam multa dissipat, prosternit, incendit, hostes in fugā propellit, vrbem obsidione liberat, mense Maio, haud absq; multo hostium sanguine. Inde Magdunū, Gergellum, Bogenciacum, Genouillam capit, vincit, fundit, fugatq; Anglos. Ad

Ioanna Aurelianum obsidione liberat.

Eiusdem Ioannæ successus.

Patacum in Belsia signis collatis Anglorũ exercitum profligat, Ioannem Talbotum summumDucem cum alijs multis capit interfectis compluribus. Dehinc Altißiodorenses, fanum Florentij, Tricasses, Cathalaunosq; recipit, Regemq; Carolum Remos ad sacram vnctionem perducit: quam vbi ab Reginaldo loci Pontif. mense Iulio accepisset, statim veluti altera Pentesilea aut Semiramis Velliacum, Priuinum, Laudunum, Augustam Sueßionum, Briæ castella & oppida, Crespiacum, Compendium, Cæsaromagum Bellouacorum victis pulsisq; hostibus recipit. Ad hæc autem perficienda socij adiutoresq; illi fuêre Rex ipse Carolus, Carolus item Dux Borbonij, Arturus M. equitum, quanquam hic Remis non aderat, Ioannes Alenconius, Stephanus Hyrus, Poton Santralla, Joannes Aureliensis nothus, Reginaldus Pontifex Remorum idem Cancellarius Galliæ, Vindocinensis, Lauallus, Ambrosius Lora, Renatus Barensis, Gaucuriæ, Grauilla, Carolus Alebretus, & quidam alij. Henricus

Carolus VII. Remos perductus coronatur.

Duces Ioannæ auxiliares.

Cardinalis Angliæ collectum pugnatorum numerum in Boëmiam ducẽdum, in Galliam adduxit auxilio ſuis Anglis. Siluanetum puella tentat, ſed propter vires Burgundorum à pugna abſtinet, non enim eadem illi fœlicitas erat contra Burgundos quæ contra Anglos; vnde quidam. Anglos (inquit) *vicit, Burgundos vincere nequiuit. Syluanetum tuebantur præter Anglos Ioannes Villerius Adamæus, Ioannes Croiacus, Ioannes Crequiacus, & Antonius Betunienſis, Ioannes Foſſella, Hugo Alnetanus, Ioannes & Alnetanus, Simon Lalanus, Sauoſius cum ſeptingentis equitibus. Dubia Ioanna, nunc pugnandum, nunc non pugnandum ſuaſit. Trecenti circiter leuibus prælijs interierũt, & ita diſceſſum. Sed de puella Synchronum puellæ ſcriptorem audiamus loquentem.*

Ioanna Burgũdos vincere nequit.

Ductu (inquit) *Puellæ Franci victoria potiuntur, & Claſsidas Dux Anglorũ ſubmergitur in aquis Ligeris, ex turri in profluentem ſalire coactus ardente turri. Ductu Ioannæ puellæ Francus vnus mille*

Anonymus de Puella.

fugauit Anglos, & duo fugauerũt decem millia. Dei voluntas erat victoriam ponere in sexu fragili. Castra hostium expugnata, turres fractæ, Sagittæ Anglorum nihil non ante penetrantes, retusa acie nihil amplius potuerunt. Repentè fortunæ immutatus cursus, Frãcorum res quæ hactenus deiectæ, prostratæ ac miserrimæ erant, erectæ protinus sunt, affulsitq; diuinitus fœlicitas. Anglorum verò res hactenus secundißimæ retrò dilabi cœperunt. Tantus solo Puellæ nomine eorum animis incessit pauor, vt magno eorum plurimi firmarent Sacramento, quòd solo audito eius nomine, aut signis eius conspectis, vires animumq; perderent, ita vt nec arcus tendere, nec iacula vlla mittere valerent, nec ferire hostem (vt soliti erant) haberẽt potestatem. Mirabilis Deus in Sanctis suis. Ioannes nothus Aureliensis idem Comes Dunensis in Carnutibus, & Ioanna Puella Duces præcipui omnibus in rebus & bellis erant. Angli omnibus locis excußi, fusi, fugati, cæsi. Carolus Rex puellæ ductu

Nomen Ioannæ Anglis formidabile.

Remis inunctus & coronatus. Trecis Regem honorificè suscepit Ioannes acutus Episcopus loci laudatissimus. Remi, Cathalaunum, Compendium, Bellouacum, Laudunum, Suessiones, Senones, Carnutes, aliæq; ciuitates & populi pulsis Anglis in fidem redeunt sola Dei gratia & benignitate.

Hæc ille. Et paulò post idem Meierus. *Puella capto fano Dionysij, vrbẽ regiam, hoc est, Lutetiam Parisiorum oppugnat. Præfectus tum vrbis erat loco Bethfordij in Normannia occupati Ludouicus Luceburgius Episcopus Morinorum, sed carnalis magnusq; Satrapa, quem, & Anglorum factio Cancellarium sibi crearat. Simul præsidio ibi erant ex nobilitate Philippi Ioannes Crequiacus, Ioannes Villerius, Simon Lalanus, & Ioannes à bona Valle. Pugnatum egregiè per horas quatuor ad portam Diui Honorati, sed Puella in crure vulnerata postquam benè multos ex suis amisisset ad fanum Dionysij se recepit. Anno sequẽte Puella inuadit Anglos ad locum*

Oppugnatur Lutetia à Puella.

cui nomen Pons Episcopi, cadunt Angli XXX. & Galli aliquot. Ioannes Brimæus captus à Potone Santralla & magno redemptus. Puella haud procul latiniaco ad amnem Matronam capit Franciscũ Atrebatem dictum fortissimum Burgundicæ partis virum, quem interfectis multis Burgundis securi percussit. Eum virum maximè plangebant Burgundi, cœperuntq; ob eam rem puellam magis odisse. Et pridie feriarum ascensionis Dominicæ quæ tum incidit in IX. Calendas Iunias hora quinta pomeridiana, Ioanna Puella & Poton Santralla cum quingentis circiter pugnatoribus ex Compendio erumpunt vt apud Mariniacum obruãt Bodonem Noiellam: sed Angli & Ioannes Lucemburgius qui cũ cohortibus suis non procul aberant, fortiter Bodoni accurrunt auxilio. Pugnatum est acriter apud Clariacum; sed Galli cum crescentem hostium suorum numerum perferre nequirent, Compendium se recipiũt. Burgũdiones propter necem Francisci Atrebatis puellæ magis infesti acriter insequuntur.

Frãciscus Atrebas securi percutitur à puella.

quuntur illamq; suos ante se ducentem priusquam peruenire posset in oppidum equo deiectam capiunt, ductamq; Mariniacum tradunt suo Duci Joanni Lucemburgensi, qui primum apud bellum locum, dehinc in arce Bellorauorio diu illam tenuit captiuam. Memorant quidam ab Gulielmo Flauiacensi oppidi præfecto hostibus venditam, eamq; proditionem suam statim secuturam mortem puellam prædixisse cõfirmant. Puella capitur à Burgundis.

Sed de ipsius innocentia nos cum Meyero atque alijs postea dicemus.

Quo in citandis testibus progredior longius, eo me consilij mei minus pœnitet; adeò singuli aut addunt aliquid alijs non dictum, aut ab his dictum, fide & diligentia sua confirmant; cuncti certè vnà positi, mirificum omnium huius historiæ partium concentum faciunt. Ac quorum authorum iam testimonia posui, eis quãquam videbatur nihil addi posse, tamen quem illis subijcio multa habuit historicus & grauis & diligens, quæ eruta ex op- XL

timis antiquitatis monumentis facta & consilia ijs adijceret. Is est Robertus Gaguynus Ordinis sanctæ Trinitatis minister generalis, cuius in historia Caroli VII. est hæc oratio. *Erat illis diebus apud Valllicolorem annos viginti nata Iohanna quæ patre Iacobo Darco: matre Isabella in vico Dampremo genita, ob corporis perpetuam integritatem Puellæ appellationem obtinuit. Ea rerum præsentium aduersitatibus Deo authore compatiens: Robertum Baudricurtum oppidi præfectum: aliosq; complures præsidij equites duce auunculo suo crebrò adibat: eos admonens vt ad Carolũ eam deducerent allaturam rebus desperatis non minimam opem. Mulierem Baudricurtus parui à se æstimatam iterũ atq; iterum aspernatus: perseuerantem demum exaudiuit: datisq; puellæ corporis custodibus eam ad Regẽ duci iubet. Ad Carolum veniens puella: tametsi nullo illum tempore vidisset: ipseq; cæteris aulicis veste minus ornatus ex industria esset: reuerẽter tamen atq; vrbanè Regem intuita: salue inquit*

Ioannæ puellæ ad Carolum aduentus.

generosißime Rex detq; vitam tibi prosperam Deus. Cui cum se Regem esse Carolus pernegasset: ah inquit Puella: tu ipse Rex es Francorum nobilißimus. Ad hæc verba spem cepit Rex cuiuspiam fortunæ melioris. Itaq; selectis prudentibus aliquot viris qui eam diligentius probarent: illa se ideo venisse constanter affirmat vt Carolum in regnum restituat: Deum ita decreuisse: vt se duce Aurelianenses obsidione liberentur: & Angli Francia tandem extrudantur: perducturam se Carolum ad Remos: vbi more maiorū sacra vnctione linatur: de quibus omnibus oracula diuinitus accepisset. Tantum copijs opus esse quas illi ducendas Carolus cōmittat. Et dum de alijs arduis & ad religionem Christianā pertinentibus multa accuratè rogaretur: supra fœminæ sensum respondebat. Siue enim de diuinitate siue de bello quæreretur: non muliebriter sed scitè: & quasi perita loquebatur, ita vt mulier admirationi esset multis. Perpenso igitur consilio visum est optimum factu esse: si auspicio eius Carolus ad bellum

vteretur. De importando Aureliam commeatu primum mandatum Puella accepit: quam Rayus & Delorus aureæ militiæ equites valida armatorum manu stipati comitabantur. Profectis Blesam obuij adueniunt Reginaldus Chartus Remorum Pontifex Franciæ Cancellarius: Aurelianensis nothus: Stephanus Hyrus: alijq; non pauci electi milites. Commeatu curribus imposito & milite instructo: ex Blesis per Solonam Iohanna mouet. Atq; postridie Aurelianum versus progreditur. Vtebatur Puella in expeditionibus gladio, quem hoc modo nacta erat. Est templum in agro Turonensi diuæ Catharinæ dicatum: genti regionis illius plurimum venerabile vbi donaria plurima atq; vetustißima visuntur. In eo templo antiquum ensem inter sacras oblationes vtraq; parte lilijs insculptũ extare Carolo Iohanna patefacit: petens vt misso ad templum armorum fabro gladium illi dono perferat. Admiratus Carolus si templum illud aliquando Iohanna inuisisset; percontatur mulierem qualiter

Ioannæ gladius.

id norit. Neq; inquit Puella locum noui, neq; humano ad hoc authore vsa sum, Deus est qui reuelauit. Mittit Rex opificem qui inuentum ad se gladium ferat. Profectus ad templum faber ensem inter squalentia alia arma rubiginosum ad Carolum perfert. Quo mox Iohannam Rex donauit. Sed de Anglis orationem persequamur.

Angli qui ad propugnaculum sancti Iohannis Blanci erant Francos venire audientes loco deserto ad Fratrum Augustinensiũ ædes quæ ad extremũ põtem in Diui Laurentij suburbio spectant, se receperunt. Puella verò per medios hostes flumine traiecto, quem vehebat cõmeatum in vrbem importauit. At quandoquidem victualia tenuia erant, Rayus & Delorus cum suis Blesam remeantes ciuitatis periculũ Cancellario narrant: cui nisi succurratur venturam esse in hostium potestatem. Et Iohãnes Aurelianensis nothus magnoperè orabat laborantibus ciuibus suppetiatum iri. Stetit omnium sententia copiosißimũ commeatum ad obsessos ferre & iter facere per

Belsiam qua parte obsidio ciuitatem magis vrgebat. Copijs igitur vecturisq; ritè ad iter ordinatis, Franci (dimidia quæ est inter Blesam Aurelianumq; via confecta) castra ponentes restiterunt: se suaq; corpora curantes. Crastino diluculo insequentis diei cum ad duo passuum millia ciuitati successissent, Iohanna assumptis aliquot cũ valida manu præfectis vrbe egressa: venientibus obuiam pergit: atq; ita exercitibus coniunctis cum Franci inferiores hoste non essent: in conspectu Anglorum prætereuntes in ciuitatem recepti sunt. Victualibus ciuitate confortata Iohanna armis egregiè instructa ad propugnaculum quod sancti Lupi appellabatur, mouens Anglos qui in eo erant potenter oppugnat atq; vincit: nemine superstite qui vel occisus vel captus non fuerit. Hæc cum in conspectu maioris propugnaculi gererentur: tentauere hostes eruptionẽ facere & suis auxiliari: sed mox in propugnaculum se receperunt. Franci propugnaculo dissoluto postquam in vrbem rediere multis coitionibus clam habitis an

Londonias propugnaculum oppugnatum irent: communicato tandem cum Iohanna consilio, illa succensens; nihil me inquit proceres celaueritis, potis sum hæc & maiora animo condita meo silere: tacuerant siquidem Proceres ne muliebri leuitate res in vulgum prodiret: quod propugnaculum oppugnandum simularent: vt Anglos qui Salonam versus in obsidione erant, in alteram Ligeris ripam allicerent dum suis auxilio venire festinarent: quibus à sua sessione mouentibus Franci eorum stationes occuparent. Nec iram Iohanna posuit: donec Ioannes Aurelianus nothus id quod consilio definitum esset illi enarrauit. Cognito decreto sentẽtiam inquit Puella laudo si opus reuera assit. Nam cum cordata esset & confidens Deo mulier: multa quæ à Præfectis de bello consulebantur improbabat: nihil obsidionis tempore sinistrè aut infœliciter gerens. Aderat enim prælianti-bus suis armis instructa: equo vsa potenti & animoso: in quem expeditè instar expediti militis conscendebat. Igitur multa ani-

mo cogitans; operæpretium censet si hostem inuadat qui ad extremum pontem sancti Laurentij suburbana sedebat: erant in flumine naues non paucæ muris ciuitatis deligatæ: in eis multo milite imposito Ligerim transmittit, copiasq; in continentem exponit: insultū factura in hostem. Pugnatum illic est donec occumbente ferè Sole receptui signum Puella dat: regredientes in naues Francos Anglos adoritur. Eam ob rem Puella suos cohortata hosti restitit: propulsatque persequens eum vsq; ad Augustinensium ædes: quas licet Anglus munitissimas fecisset: captas tamen fugato hoste Franci occupauerunt. Erat ad eum quem dixi pontem proximè Augustinenses turris ex quadrato lapide cum propugnaculo & fossa: in eo loco fugiens Anglus se recepit. Vbi excubias continua nocte habēs Ioanna cum illuxisset propugnaculum oppugnare iubet: asserens tempus proximè adesse cum Anglus vincendus atq; regno expellendus erat. Dum hinc Francus instat: illinc hostis acriter se tuetur: Ioanna in humero scorpione

ex pro-

ex propugnaculo miſſo vulneratur: quo vulnere neq; triſtior neq; negligentior fuit: ſtans continenter ad foſſæ labrum & militem fortiter agere admonens. Continuata obſidione cum adueſperaſceret: Francus in foſſam omnibus partibus dilapſus in propugnaculum ſcandens vi expugnat: quadringentis Anglis interemptis: cum præfectis tribus Mollino, Ioanne Pommaro, & Guillermo Glaßida. Cæteri omnes capti in poteſtatem venere Francorum. Hæc à Ioanna geſta, hoſtis qui Belſiam verſus grande propugnaculum habebat proſpicere facilè poterat. Caſu igitur ſuorum perterriti hoſtes poſtquam ab vrbe campanas toto claßico velut in communi lætitia pulſari exaudiunt: mane facto Magdunum (deſerta obſidione) confugiunt. Ad hunc modum diſſoluta obſidio eſt, & ciuitas ab hoſtis poteſtate erepta: quod maximum momentum ad Caroli fortunam fuit. Tallebotus autem ægrè ferens ſe Aurelianenſi circunuallatione fruſtratum damnum compenſaturus Lauallum aggreditur ar-

cem oppidumq; nocturno furto inuadens. Cepit ibidem Lauallum comitem: quē donec quinque & viginti ſcutorum millia illi exſoluiſſet in vinculis habuit. Interim, Ioanna Carolum Regem ſollicitat maiores copias cogere & ſibi recuperare quæ in agro Aurelianenſi ab hoſte occupabantur. Vocato propterea ad ſe Alenconij duce Carolus Gergeum petere. Adfuerunt mox Joannes Aurelianenſis nothus: Bouſſacus Mareſcallus, Grauilla, Culantus Admiraldus: Ambroſius Delorus, Vignolus Hyrus, & Guillermus Bruſſacus, qui tametſi ſtipendio regio non iuuarentur, viſendæ tamen Ioannæ cauſa quam diuinitus miſſam arbitrabantur: militare non recuſabant. Jtaq; Gergeum Præfecti oppidū poſt octauum obſidionis diem expugnant. Nec multis interpoſitis poſt diebus Magdunum auctis copijs Carolo iubente mouentes: pontem cum turri capiūt: poſitoq; præſidio, Bogentium protinus contendere. Audito Francorum aduentu Angli relicto oppido in arcem quæ eſt ad pontem ſupra Ligerim am-

nem confugiunt: quam (dimißis liberè abire Anglis) Franci receperunt. Recepta arce rumor per Francorum castra increbuit Tallebotum & Ioannem Fastolum cum quinque Anglorum millibus apud Ienuillam in Belsia visos esse, qui Magdunum proficiscerētur. Mißis exploratoribus postquam id verum esse Franci cognouerunt: composito agmine in hostem mouent, & apud Patayum propter templum quod illic munitißimum erat castra metantur. Stabant in excubijs Belmanorus, Ambrosius Delorus, Hyrus, Potonusq; hostis aduentum explorantes. Quos non longè cum iusto exercitu sequebantur, Alēconius dux, Richemontus Connestabilis Vindocinensis comes; Ioannes Aurelianensis nothus & Ioanna Puella. Angli verò dum viam pergunt: conspectis Francis ad proximum nemus iter conuertunt pugnandi locum sibi idoneum captantes. At qui in excubijs erāt nullo se colligendi spatio hosti dato, prælium commisêre; ita vt equitatum omnem Anglorum in fugam coëgerint, pedites quidem

visa equitum fuga in nemus & viculum, qui iuxta erat dilapsi: nemoris beneficio vt quisq; poterat se tuebantur. Interim Alenconij Dux acie instructa aduenit. Tria circiter millia hostium in ea pugna cecidere. Captis ex Anglorum nobilitate cum Talleboto quamplurimis. Tum in Caroli potestatem venit Ienuilla & alia quædam per Belsiam loca. Mense Iunio insequentis anni qui fuit Christianæ gratiæ quadringentesimus vigesimus nonus supra mille: Ioanna Puella Carolum conueniens: iam inquit Serenissime Rex hoste superior esse incipis. Multas vrbes atq; arces ex Anglis ereptas tibi audientes videmus: nunc tuæ consecrationis tempus aduenit: diuinæ dignationi placet ad Rhemos proficiscaris, vbi more maiorum sacra vnctione delibutus dyadema suscipias. Qua vna re venerabilius Franco populo tuum nomen erit, & hosti formidabile. Nihil te perterreat quod Campania & reliquæ ferè Belgæ omnes ab hoste tenentur: viam tibi propitiatore Deo parabimus. tantum copias con-

Anglorũ cædes.

Tallebotus capitur.

Initium consecrationis Caroli VII.

trahe, & Dei decretum exequamur. Hæc Ioannæ verba ſpem omnibus magnam faciebant: propterea quod vitæ puritate puella præ ſe ferebat ſanctitatem: & nihil muliebriter agebat aut loquebatur. Enimuero ſacerdotali confeßione quaq; ferè hebdomade conſcientiam purgabat: & diuinam Euchariſtiam deſumebat. Igitur collecto apud Gyen non mediocri exercitu. Carolus Remos per Campaniam petere conſtituit: præmiſſa cum aliquot præfectis Ioanna puella: qui obſtantem fortè hoſtem impedirent. Proximè Antißiodorum Carolus cum veniſſet, prodiere illi obuiam aliquot ciues: ſed in ciuitatem non admiſerũt. Erat illis Trimolus qui multa apud Regem authoritate habebatur. Hunc ab Antißiodorenſibus pecuniam accepiſſe conſtans fama fuit: vt illis liceret induciarum beneficio frui. Itaq; ciuitati nihil incõmodatum eſt: cibos exercitui miniſtrantibus incolis: dum pretium ſolueretur. Præterita Antißiodoro: Carolus ſanctum Florentinum recepit: oppidanis ſe liberè dedentibus. Tre-

cas inde profectus: post sextum diem quam illic desperata deditione sedisset. Laboratũ est in exercitu fame: ita vt pleriq; fabis & triticeis spicis tantum milites vescerentur. Rerum penuria cognita Carolus Primores exercitus ad concionem vocans petit quid ipsi faciendum esse censerent. Nemo omnium fuit qui reducendum exercitum esse non diceret cum neq; commeatus neque stipendium militi sufficeret. Vnus tamen Robertus Massonus quanquam ab hac sententia non abhorreret, Vellem inquit Ioannam de hac re audire: quæ enim præsentis expeditionis auctor fuit: ipsa suis consilijs paratum fortè auxilium feret. Igitur vocata Ioanna rogataq; sententiam, ad Carolum conuersa: Si ego inquit, quod verum teneo eloquar: an mihi Rex credideris? id cum secundò quæreret. Tibi inquit Rex si quod profuturum sit dicas credam. Trecenses, inquit Puella, tui sunt, & intra proximum biduum se ciuitatemq; tibi dedent. Credulus fœminæ Rex stare loco copias iubet. At Ioanna confestim equum

inſcendens quemq; militem cogit, ea quæ ad oppugnationem neceſſaria erāt ad muros importare. Quod animaduertentes Trecenſes loci antiſtitem cum ciuibus aliquot: & militum quibuſdam Præfectis ad Carolum legāt: ciuitatem dedituros, ſi miles Anglus inde abire cum ijs quos captiuos habebat liberè permittatur. Conditione accepta: Rex poſtridie Trecas ingreditur. Egredientes vrbe hoſtes Ioanna captiuos abducere vetat. Quorum redemptionis pretium, ne fidei & poſitæ cum hoſte legi detraheret Rex exſoluit. Ordinatis apud Trecas magiſtratibus, Cathalaunos petit, qui eum communi omnium lætitia excipientes miniſtros reipublicæ quos Carolus inſtituit admiſerunt. Inde Remos qui Anglo parebant adoritur quos nulla vi recepit, lætis proculdubio ciuibus ſuum Regem excipere. Eò venêre Dux Barrenſis & Lotharingiæ: Commercienſis quoq; Dominus non paruas copias ducentes, vt Regi inſeruirent. Itaq; Carolus & vnctus & coronatus eſt à Reginaldo Chartrenſi Remorū

Antistite, aßistente Puella quæ militare vexillum manu gerebat: nimirum exultans quod se vna hortante Carolus regni dyadema & sacram vnctionem loco celebri atq; huiusmodi sacris multos per annos ad id muneris designato recepisset. Sacratione absoluta: relictis Remis Vellium iter agens oppido liberè potitus est. Nec Sueßiones signum vllum rebellionis ostenderunt. Simili quoq; modo per Briam nonnulla fortia loca fecere deditionem. Priuino oppido cum Carolus ageret: Bethfortus cum duodecim armatorum millibus ex Parisijs ducens Corbollium acceßit animo (vt ipse iactabat) pugna cum Carolo conserendi: id vbi Regi cognitum est, Priuino discedēs ad castellum cui Mota nomē est exercitum duxit, non ob aliam causam quàm vt Anglo pugnandi faceret potestatem. At Bethforto mens fuit Parisios repetendi. Constituerat Carolus Sequana amne traiecto Brayum proficisci promittentibus oppidanis transitum se concessuros. Sed Francis Anglisq; concurrentibus eodem tempore ad ripam

ripam vt traijcerent: leui commisso prælio Carolus suos transire prohibuit. Exactis post non multis diebus Castrumthiericum profectus: mox per Vallesium Crespeiumq; præteriens: castra in campo iuxta Dammartinum ponit; spe animoq; erectus Parisium recuperandi. Cognito quod ad se Carolus aduentaret Bethfortus ad vicum Mitriacum copias educit: sex à Dãmarto millibus passuum distantem. Vbi loco natura munitißimo militem continet. Præmißis aliquot equitibus duce Stephano Hyro qui Anglos adequitarent: vbi resciuit hostem loci munitionibus considere: Carolus suos vltrà progredi vetat. Bethfortus autem Parisium citißimè reuersus est: miserat per hos dies Carolus ad Compendium Beluacensesq; nonnullos ex suis fidißimos exploratum quo in se animo incolæ essent: cognoueratq; illos cupere maximè ab Anglorum seruitute liberari: eiq; obtemperare qui verus Rex esset. Proinde Baron Siluanectensis agri vicum vt Compendium peteret profectus: cognoscit Bethfortum

maioribus copijs auctum in se ducere. Patruelis siquidem Henrici Anglorum Regis per superiores dies Romanus Cardinalis à Pontifice Romano legationem ad Anglos receperat pecuniam militemq; cogendi aduersus Bohemos: qui de Christi doctrina & fide non rectè crederent. Qui millibus quatuor armatorum in Galliam traductis se cum Bethforto coiunxerat in Francos arma conuertens quæ in Christianæ religionis hostes simularat accepisse. Igitur vt de Bethforti accessu certior Carolus redderetur: Ambrosium Delorũ cum viginti tantum equitibus exploratum quid apud hostem geratur mittit, qui iter ingressus videt procul densissimum puluerem in aërem ferri: nec dubius fuit id progredientis agminis indicium esse: moxq; paulò vltra pergens Anglos manifestè conspicatur: idq; per caduceatorem Carolo festinanter renunciat. Ea recognita Carolus acie ordinata Siluanectum iter facere constituens apud montem Piliolum qui mons contemplationis aliquando dictus est cum venisset: rede-

unte Ambrosio Deloro: accepit Anglos Barronem ducere per riuum qui ex Siluanecto perfluit: sed eos magnopere impediri vadi angustia per quod vix bini possent euadere. In ea traijciendi difficultate ratus Carolus hostem intercipi posse; primam aciem incedere iubet. Sed iam magnam sui exercitus partem Anglus transmiserat: quamobrem Carolus suas acies in cõspectu habuit: moxq; leuibus commissis digladiationibus; cum Sol se condere inciperet: Angli ad ripam fluenti castra posuere: aggere, vallo, sudibusque sese munientes. Habentes præterea à tergo lacum. Rex autem in monte Piliolo suos continuit. Postridie cum illuxisset: Carolus quaterna acie instructus in Anglos ducit. Primam Alenconij Dux & Vindocinensis comes administrabant. Secundæ præerat Dux Barri. Tertiã ducebat Rayus & Boussacus Frãciæ Marescalli. Quartam quæ ad excursiones instituta erat & cui frequenter locum mutare necesse esset moderabantur Albretus Ioannes Aurelianensis nothus, Ioanna

Puella & Hyrus. Sagittariorum Balistariorumq; curam gerebant Grauilla & Iohannes Foucaudus Lemouicensis. Regis custodiam Borboniorum dux Trimolusq; receperãt. Aciebus ad hunc modum instructis, decretum erat Anglos adoriri. Sed cognito quantum illis locus adiumento esset, leuibus aliquot prælijs ante castra vtrinq; commissis; cum neq; conuitijs neq; prouocationibus è castris excitari hostis posset: Francus tandem ad hostium castra proximè profectus: manu tamdiu conseruit, donec aduesperascente & multo puluere cœlo caligante fuerit prælio desistere coactus. Mane facto Rex Crespeyum: Bethfortus Parisium petijt. Biduo post recepit Carolus Compendium: vbi præfectum posuit Guillermum Flauium loci indigenam. Eò quoq; Beluacenses conuenere Regis potestati se permittẽtes. Idem fecere Siluanectenses qui misso ad Carolum suo cum aliquot ciuibus Antistite ciuitatem dedère quò rex paulò post seipse contulit. Bethfortus præuidens animo quod benignior fortuna Ca-

roli rebus arrideret: Parisio abire constituens Ludouicum Luxemburgum Morinorum Episcopum quem Franciæ Cancellarium Anglorum factio appellabat; & Joannem Rachetum equitem Anglum unà cum Symone Morhiero Parisianum prætorem ciuitati administratorem præposuit cum duobus armatorum millibus ad præsidium relictis. Reliquum verò exercitum ad Normãnos profectus compluribus suæ factionis locis dispartiuit. Igitur cognito Bethforti discessu: Carolus ad sanctũ Dionysium ex Siluanecto mouẽs oppidum (excipientibus eum ciuibus) ingressus est. Tertio post die Franci Caroli iussu ad vicum, cui capellæ appellatio est castris constitutis: cum ibi pernoctassét, eruptione in eos à Parisiacis facta crebris prælijs concertarunt: non secus ac si præludia quædam armorũ agitarent. Repetentibus tandem ciuitatem Parisianis, Franci Duce Alẽconio ad sancti Honorati portam copias promouere: expugnãtes confestim propugnaculũ quod pro porta extructum erat. Qua spe addu-

cta Joanna, ciuitatem quoq; oppugnare præter omnium opinionem constituit. Est ab ea parte duplex fossa & inter vtramq; agger. In priorem neq; aqua neq; luto impeditam cum facilè Franci descendissent: alteram fossam superare labor fuit, propterea quod latior & aquæ affatim plena esset. Importatam vndiq; materiam cum Ioanna in fossam opplendam iacit: è muro sagitta in crure percutitur, nec eo tardius in opere perseuerat: commilitones perseuerare cohortans. Nec potuit inde reuocari donec Alenconius negociosam mulierem per se reduxit. Signo receptui dato Franci ad sanctum Dyonisium iter conuerterunt. Et paulò post idem Gaguinus ait. *His diebus Puella cum Latiniacum accessisset, cognito quod quadringenti ex Anglorum copijs non procul à Latiniaco in Franciam contenderent: assumpto Foucaudo & Ioanne de sancto Albino & alijs ex Latiniaci præsidio hostem adoritur, omnes ad vnum necans. Sed non multis post diebus dissimilis apud Compendium fortuna illi fuit.*

Puellæ Ioannæ fortuna

Nam Anglis Burgundionibusq; in Compendij obsidione sedentibus: Ioanna subsidium obsessis ferens: cum oppidum ingressa esset: & paulò post eruptione in hostem facta res non prosperè sibi succederet: dum oppidum repetit & militum pressura aditum precluderet, capitur à Ioanne Luxemburgo qui eam Anglis venundedit: à quibus hostiliter habita Rothomagi cremata est odio videlicet nominis Franci: & quod virili veste fœmina vsa esset. Prius tamen quam sententiam diceret hostis: frequenti foro & crebris consultationibus Puellam tentat: de fide atq; religione Christi multa scrutatus. Arbitrabatur enim mulierem magia aliqua edoctam à Carolo Rege assumptam esse: & propterea à Catholica veritate aberrasse: indignumq; esse cui regnũ deberetur. Sed supra fœminæ vires fuit: pluribus cum hoste (vt est nonnullorum mos) per assentationem sentientibus præualere: quanquam se & quæq; gessisset Apostolicæ sedis examini permitteret. Hactenus Gaguinus. mala apud Compendium.

Cui ac superioribus non absimilis Io-
XII. annes Laziardus Cælestinus in cap. 274. epitomatum historiæ vniuersalis. *Carolus* (inquit) *huius nominis septimus post Carolum sextum regno Francorum successit: quo in tempore tantis calamitatibus Franci vexabantur, vt his attritus populus & obstupescens quorum partes sequi deberet, ignoraret. Itaq; Regi Carolo Bituriges tantum parebant cæteris Francis modò ad Anglos, modò ad Burgundiones spectantibus. Eo enim tempore Henricus Henrici filius regnum Franciæ occupabat: quod diceret ex pacto illud sibi deberi. Carolus vero compassus suum armis defendere semper animo agitabat. Vnde & Franci milites in armis parati aduersus Anglos repentina prælia committebāt. Varijs igitur prælijs commißis, modò Angli, modò Franci superantur. Verùm fœliciter gestis aduersus Anglos multis bellis etiā & Frācis auxiliatores Scotorum quinque millia aduenerunt, quos perbenignè & beneuolo affectu Rex suscepit. Eisdem temporibus Angli*

Angli multas vrbes receperunt atq; non sine multo Francorum damno, adeò vt vno prælio apud Vernolium commisso Bethfortus Anglorum dux quinque millia Francorum occiderit, captusq; est Alenconius Dux cum alijs pluribus Franciæ nobilitatis Proceribus. Hac victoria læti Angli multa alia oppida receperunt. Tum Aurelianos obsidens Tallebotus cum Salsebériensi comite quatuor per gyrum munitiones extruxit, quibus in vrbem quicquam inferri vetabat. Aurelianenses verò semper erectiore animo se suaq; acerrimè tuebantur. Aderat etiã & illis subsidio quàm maximè poterat Carolus Rex. Multa tamen diuturnaq; obsidione pressi consilium capiunt de deditione facienda, eo pacto vt vrbs Burgundo Duci permitteretur. Legatos itaq; ad Burgundum mittentes eum de ea re certiorem reddunt, quibus respondit Burgundus se perquam libenter vrbem recepturum, si Bethfortus assentiat. Itaq; Bethfortum legati adeunt quibus respondit Aurelianenses in gratiam non receptu-

rum, quoad omnem belli impensam persoluissent, suæq; voluntati eos subdidisset. Eodem tempore Ioanna, cui Puellæ ob integritatem corporis cognomento fuit, annos viginti nata ad Carolum Regem veniens illum breui in regnum se restituturam pollicita est. Erat enim hæc Virgo excelsi animi, nihil muliebriter agens, sacerdotali confessione, quaq; ferè hebdomada conscientiam purgans, diuinamq; Eucharistiam deuotè sumens. Huic itaq; postquam à Rege hostes expugnandi negotium datum est, tanta vi Anglos expugnauit vt non modò Aurelianos ab obsidione remouerit, sed & omnes à regno Franciæ deturbauit, multis occisis, multisq; viuis in prædã captis. Huius præclara gesta satis ab Historicis Francis descripta sunt. Hæc autem post multas Anglorum cædes tandem apud Compendium dum suis opem ferre studeret, à Ioanne Luxemburgo capitur, qui eam Anglis vænundedit. A quibus hostiliter habita apud Rothomagum cremata est, quod dicerent eam virili habitu indutam, ac pro Francis de-

Ioannæ facta præclara.

Ioanna dolosè capitur.

certasse, nullam mortis causam in ea inuenientes. Erubescant igitur Angli se à fœmina & quidem Catholica regno pulsos, nec deinceps apud exteras gentes suum robur iactent, sed per abrupta fugientes posteris enarrent, Puellam nomine Ioannam non quidem vi armorum sed proditione deceptam morte mulctasse. Ab hoc igitur tempore Angli animo tabescentes mala fortuna semper vsi sunt. Nam dum Compendium obsiderent, dum se à Francis mactari conspiciunt castra deserentes in sua vt quisq; poterat fugiebat. Atq; eo pacto arces & oppida à Francis recepta sunt: multaq; millia Burgundionum & Anglorum occisa.

Iam nostra ætate clarissimum Theologiæ atque historiæ lumen Gilbertus Genebrardus Parisiensis Theologus diuinarum & Hebraicarum literarum Professor Regius & postmodum Aquensis Archiepiscopus lib. 4. Chronographiæ Puellam hanc nostram his verbis posteritati commendat. *Ioanna Darcia Puella siue Vir-* XIII.

go in Lotharingorum Dampremo pago orta, anno ætatis circiter 20. Aureliam vrbem obsidione Anglorum qui Lutetiã magnamq; Galliæ partem poßidebant, liberat anno 1429. eius auspicijs multa prælia fœliciter à Francis gesta sunt. Trecas, Lutetiamq; cepit, inter primos milites muros ascendens, ab Anglis tandem capta Rothomagi vt maga combusta est. Aurelianenses accepti beneficij & tantæ fortitudinis memores, edito in loco ad pontem quem Ligeris subterlabitur, statuam Puellæ locauêre, quam anniuersarijs laudibus, singulari pietate concelebrant. Pius 2. Pontifex Max. & Antoninus Florentinus Antistes, Puellæ supra sexum virtutem admirantur. Sedatis tandem Francicis rebus, iudicio quo damnata fuerat nullius patrocinio defensa & hoste iudice retractato, omnium sententia famæ restituitur Ioanna Darcia anno 1456. die 7. Iulij.

XIV. Genebrardo scientia, fide, & authoritate coniunctissimus Hubertus, Morus Parisiensis Theologus, Rhemensis Ec-

clesiastes ac S. Deodati in Lotharingia canonicus & Decanus, libro de sacris vnctionibus tertio sub finem. *Nec certè hic lubens omiserim,* inquit, *quod bellicosa illa Virago, quam Ioannam Puellam nostri nominant, ad regnum non tam conseruandum, quàm restituendum legitimo hæredi Carolo septimo diuinitus excitata, vel, vt verbis Meyeri Flandri scriptoris vtar, nõ ascita, non creata, non electa, sed à Deo data, vt vitæ sanctitas, animi generositas, & in bello fœlicitas vel inuidos fateri cogunt, nunquam eum, nisi post consecrationem, Regem, sed tantum Delphinum, sicut ab aliquot seculis solemus Regũ nostrorum primogenitos, vocare audita est; quodque nunquam cessarit, donec illum quamprimùm Rhemos vngendum etiam contra multorum opinionem deduceret, se vt id faceret, cœlitus admonitam asserẽs. Haud dubiè omnipotens Deus mirabilia operatur, vbi, quando, & quomodo vult: & qui quondam in manu castißimæ viduæ superbum hostem populi sui strauit Holo-*

phernem, non eſt abſurdum, nec maieſtate, nec miſericordia illius indignum, ſi manu quoq; Puellæ innocentis Regi Francorum fideliſsimo cultori ſuo regnum vt legitimè debitúm vindicare dignatus eſt. Et omnes annales Anglis ferè ſemper aduerſa, Francis verò proſpera ab eo tempore quo Rex ſacroſanctam ſuſcepit vnctionem contigiſſe teſtantur: adeò vt illi intra paucos annos, ſicut illa initio prædixerat, toto Galliæ regno, cedere coacti ſint.

XV. Denique Ioannes Mariana Hiſpanus extremo libro vigeſimo: de rebus Hiſpaniæ de re noſtra hæc habet. *Septimum menſem Aurelia obſidebatur ad Ligerim nobiliſsima ciuitas, obſeſsi rerum omnium inopia laborabant, ac vix mœnibus hoſtilem vim propulſabant: Ioanna puella annorum octodecim aut circiter, rebus ſaluti fuit. Remigij nata qui pagus in agro Tullenſi apud Leucos eſt, patre Iacobo Darcio, matre Iſabella, atq; à prima ætate paternas oues paſcere ſolita veniens in caſtra Gallica diuino ſe monitu miſſam ait ad*

Aureliam periculo, Galliam liberandam Anglico imperio. Varijs & multis interrogationibus versata, vbi fides abs Rege & Proceribus est habita, per hostium munitiones impetu facto, auxilia & cōmeatum in vrbem infert, ciuibus cum spe defensionis creuit animus, crebrisq; ex vrbe irruptionibus obsidio dißipata est ad sextum Kalend. Junias, circumiecta oppida recepta: leuia tantummodò prælia facta, neq; vniuersi certaminis fortuna tentata, dum vincendi consuetudine Gallorum vires & animi confirmarentur. Rex Gallus per medios hostes, Remos (quod factum non erat) ad sacrum chrisma regniq; insigne suscipiendum abijt. Author consilij Puella. Sic augustior suis, hosti formidolósior est factus. Multis receptis vrbibus, Lutetia tentata capi non potuit; quin ad D. Honorati portam puellæ vulnus inflictum est. Belli impetus versus aliò. Compendium obsidebatur ab Anglis, Puella successu fidëtior animo, suorum cuneo facto in vrbem irrumpit, sed fortuna tandem in medio cursu de-

ſerente, eruptione facta in poteſtatem hoſtium redacta Rhotomagi magicæ ſuperſtitionis rea cauſa dicta igne combuſta eſt. Petrus Cauchonnius Bellouacorum Pontifex præcipuus concitator, nemine pro captiua contra hiſcere auſo, tametſi pleriſque perſuaſum erat, Virginem eam iniuria fuiſſe damnatam. Æternum Galliæ decus, omnibus ſæculis nobile, vti dati in cauſa iudices à Calixto Romano Pontifice pronunciarunt, quæ acta in ſcrinio ſummi Templi Lutetiæ cum fide ſeruantur. Ærea virginis ſtatua, armati militis habitu in medio Aureliæ ponte cernitur, accepti beneficij monimentum.

Iuriſconſulti. Theologiæ conſultiſſimos viros, excipient magni nominis & authoritatis Iuriſconſulti.

1. Guido Papæus oculatus teſtis & Præſes Senatus Gratianopolitani in 84. quæſt. ſuarum deciſionum aſſerit, *Eo anno quo Doctoratus gradum conſecutus eſt, ſe vidiſſe Puellam Ioannam nuncupatam quæ inſpiratione diuina, arma aſſumẽs bellica*

anno

anno Domini 1429. restaurauit regnum Franciæ, Anglicos à regno expellendo, vi armata & præfatum Carolum ad regnum suum Franciæ restituendo: quæ puella regnauit tribus vel quatuor annis.

Boërius Senatus Burdegalensis Præses in §. 7. sui tractatus de seditiosis num. 59. & in §. 7. de consuetudine feudi ait, *Prædictam Puellam tempore Caroli septimi Regis Francorũ purgasse Franciam Anglis.* II.

Guillelmus Bened. Senatus Tolosani Consiliarius in repetitione capit. Raynut. in verbo duas habens filias, & in verbo, mortuo itaque testatore, 1. de Testam. refert & probat ea quæ à Gaguino de iam laudata sæpius Puella describuntur, suntque à nobis ante in medium producta. III.

Andreas Tiraquellus Senator Regius Parisiensis & bis quindecim librorum & liberûm parens (vt de eo quidam Poëta ait) *Ioannam omnibus seculis admirandã* scribit in lege 3. libri legum cõnubialium num. 64. IV.

Vincentius Sigault in suo tractatu de V.

factis Principum, inquit: *Quid de Virgine vocata La Pucelle Ieanne diuinitus transmissa dicemus? Diuina fuerunt eius exercitia, & voluit ipse Deus vincere Anglicos per fœmellam cum de fœmella ageretur:* quò pertinet quod legitur in primo rotulo Laudayani anonymi Clerici de Sibylla Francica, *Nobile regnum Franciæ ruinam passum est ex superfluitate vitæ & abundantia panis propter vnius mulieris speciem. Vt autē ordo reparationis ex merito respondeat præuaricationi ex delicto, per personam sexu fragilem, vita autem humilem & Deo deuotam, expedit reparari per Virginem quod desertum fuerat per mulierem.*

Taceo Bartholomæum Chassaneum in secunda parte Catalogi gloriæ mundi considerat. 8. Carolum de Grassalio lib. 1. regalium Galliæ cap. 17. Neuizanū Astiensem Iureconsultum lib. 4. Syluæ nupt. Franciscum Polletum Duacensem Iureconsultum lib. 2. historiæ fori, & Petrum Gregorium cap. 24. lib. 34. Syntagmatis

iuris vniuersi, & in cap. vndecimo lib. 7. de Repub. prædictam puellam non mediocriter commendantes: vt ad Stephanum Forcatulum in alma Vniuersitate Tolosana I. V. Professorem ordinarium liberiùs accedam; quem nemo erit, opinor, tam auersus à re Gallica, aut ab eius reparatrice Ioanna, dum aliquãtò sit eruditiore aure, atque ingenio, quin suauissimè loquentem libentissimè ac iucundissimè audiat. Is verò in lib. 7. de Gallorum imperio & philosophia Lotharenam virginem tot iam scriptorum ac gẽtium nobilitatam literis atque linguis hoc encomio exornat. *Superest fœminei decoris propugnatrix Iana Gallica, vel Anglorũ annalibus mirum in modum, sed non pro meritis laudata, & quam Martem muliebrem dicere iure poßimus, atq; rebus magnificè gestis præferre Telesillæ, quæ Argiuorum à Cleomene Laconum Rege afflictorum muros tutata est, sui sexus freta præsidio, præsenti animo, hostium impreßionẽ sustinens, nec bellicis exterrita clamoribus.* VI.

Pausanias in Corinthiacis. Atqui Iana nõ modò murorum secura, ambitu Anglos profligauit, quoad vixit: sed patenti planitie crebriùs: tunc maximè subueniens, cum deploratæ viderentur res Francorum, interim Anglicæ fortunæ planè cedentes, postquam ad ipsius curam Caroli septimi Regis boni magis quàm felicis spectare tuitio inceperat. Namq; Henricus V. Anglus, Gallicos agros, viros, & oppida latè poßidebat: eóq; angustiarum Carolum perduxerat, vt inter iocos Biturigum Regem ipsum appellitare non erubesceret: quia Gallus tantisper fortunæ impetum deferuescere sperans, Bituriges tanquam arcem tutißimam elegerat: ob vnam causam bello petitus, quod Northmaniam & Aquitaniam cum Andibus concedere recusasset Anglo, qui legatos Clarigatum miserat, olim inclyto Carolo VI. patriæ & Septimi huius parenti amabili; Et paulò post idem Forcatulus ait: *Nihil verò, si singula percurras, tam firmauit vacillantẽ Galliam, quàm aduentus Ianæ Puellæ fatidicæ, anno*

ſalutis 1428. ex Lotharingia Galliæ ſuburbana oriundæ, vel ex Vaucolore Barrenſis ditionis, niſi cœleſtem ciuem malis conijcere: quippe cum ſupra humanam virtutem, nedum ſupra ſexum, ſeſe bellicis factis dictiſq; ſapientiſsimis extulerit. Putaſſes Spartanam nurum diſciplina virili imbutam, aut Camillam alteram Metabi Regis pulſi regno Priuernate filiam in dumis & ferarum luſtris nutritam, quia pater in fuga, Dianæ ipſam vouiſſet.

Vtq; pedum primis infans veſtigia plãtis
Inſtiterat, iaculo palmas onerauit acuto,
Spiculáq; ex humero paruæ ſuſpendit, & arcum:

Pro palla & crinali auro cincta Tigridis exuuijs inceſsit, vt ait Virgilius lib. 11. Æneid. & ibi quo modo ab Arunte vate ſit occiſa: fruſtrà petita nuptijs iuuenum eximiorum, & virginitatis non minus anxia cuſtos, quàm fertur Diana extitiſſe, aut Iana hæc Gallica, non ſecus ac Camilla exitum tetrum habitura poſt aſſertam iam Galliæ libertatem. Nam & Nigidius per-

quã doctus author Dianam ipſam Ianam prius fuiſſe appellatam prodidit, D litera mox cauſa decoris addita, vt in verbis redeo, redhibeo. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 9. Proinde Iana bono Francorum à Deo edita nihil prius habuit, quàm Carolum Regem adire, mirantem Pariſienſes, alioſq; nobiles ciues Anglorum imperium ferre didiciſſe, qui antea ne mores quidem ferre poterant. Cumq; impunè paruo comitatu, etiam per hoſtiles terras, ad Regem perueniſſet, annos nata circiter viginti, facie non inuenuſta, vigore oculorum animique pari, ipſum inter aulicos amictu pretioſiore fulgentes, & diſsimulata maieſtate, ac ferè cum regni ſtatu mœſto, cognouit, ſalutauit venerabunda, & colloquium ſalutare petijt: aliter atq; Syſigambis Darij Perſarum Regis mater & captiua, quæ primo congreſſu Hephæſtionẽ Alexandri Magni amicum intimũ pro Rege ſupplex adiuit, excuſante Alexandro comiter imprudentis factum, ideò quod Hephæſtion alter Alexander eſſet. Diod. Sic. lib. de geſt. Alex.

At quia Jana deligens in cœtu Procerum Regem minimè errasset, id in religionem versum est præsentibus, factumq; lubẽtius vt Puella remotis arbitris in Regis colloquium veniret, admoneretq; futurorum, ac prædiceret se adiutrice fore vt Angli è Francia abigerentur, quæ victoribus passim arma magis quàm animos cesserat. Planè bello conficiẽdo non cristis ornatam galeam efflagitauit, nec aureum gladium qualem sibi porrigi ab Ieremia Propheta in somnis vidit Judas ille Israëlis restitutor, 2. Mach. 15. cap. sed neglectum & iam rubigine obductum, latentemq; inter scuta quædam & tela vilißima in fano Diuæ Catharinæ agri Turonici, nullaq; in re amabilem nisi quòd flosculis lilij insculptis perplacebat. Quæ res facit ne putem fuisse illum Iulij Cæsaris gladium, quem sibi ab hoste ablatum in Aruernorum templo suspensum cum aspexisset victor, non est tamen passus amoueri. Solebant namq; victoria potiti eorũ quos domuerant, adempta arma templis dedicare. Inde Camilla

Aruntem ſacerdotem apud Virgilium in pugnam prouocat, quia auro armatus ſplendeſceret:

ſiue vt templis præfigeret arma
Troïa, captiuo ſiue vt ſe ferret in auro:

Longè ſecus tamen accidit Arunte acrius bellante,

Haſta ſub exertã donec perlata papillam
Hæſit virgineũq; altè bibit acta cruorem.

Et enſis Goliath à Dauide ſuperati templo affixus poſtmodum vſui fuit ipſi victori inermi, vt pote à Sacerdote Achimelech indicatus 1. Reg. cap. 21. Prætereo gladium Iulij Cæſaris in delubro Martis aſſeruatum donec Galba detractũ ſibi ſumpſerit. Sueton. in Galba cap. 8. Nec veriſimile eſt dèfuiſſe armis conſecratis titulum ſuperbum, rem geſtam explicantem cum quandoque eorum qui vicerant, tela templis addicerentur vt haſta Meleagri qua aprum Calidonium confecerat, templo Apollinis vt in Corinthiacis ſcripſit Pauſanias. Specimẽ verò ſuarum virium & virtutis præbuit Iana cum auſa eſt Aurelianum oppidum

dum longæ obsidionis tædio pressum cõmeatu importato iuuare, Anglis prospectantibus & muliebri terrore percitis, ac demirantibus in muliere virilem audaciam fœlicitati cõiunctam maximè traiecto flumine cum lectißimis auxiliarium, quibus nota vada vel vtribus tenui tabulato subiectis, vel patrio nãdi vsu, se, arma, equosque regentium, valde interim obstupefactis hostibus & nihil inuictum fore duce fœmina suspicantibus si ad manus veniretur: Iana verò exiguæ lintri credita, nisi armis nitentibus emicuisset, nantibus præcurrens alacriter videri poterat; Nec ignota est equestris statua, qua Romani Clæliam virginem donauerunt: quia à Porsena Rege Romam obsidente in pacis conditionibus inter obsides accepta, cum castra illius fortè haud procul à ripa Tyberis locata essent, dux agminis virginum inter tela hostium flumẽ tranauit sospitesq; omnes propinquis restituit: atq; ita ex publica perfidia laudem comparauit, Porsenæ merito reddita, & in honore habita, ac redire

domum impunè iussa cum quibus vellet comitibus. Cæterùm Iana fallere nescia; pugnare gnara, inter primos gladium sacrum in Anglos vibrabat, & gladio quouis præstantiorem animum: tantisper duce Talboto suos inflammante Galliæ fruendæ emolumento, hortante etiam ne mirarentur vni mulierculæ spiritum adesse virilem, cum Galli viri, vti dicebat, se fœminis inferiores præbuissent. Nihil tamen profecit, quominus Angli dimisso Aureliano castra aliorsum transferrent, ciuibus Pæana Deo canentibus, & Ianam vno ore laudantibus: quam sagitta in crure dextro sauciam vehemẽter lugebant. Leue autem fuisse vulnusculum coniicio, aut repentè sanatum, siquidem paulò post Jana prælijs interfuerit, dum vrbes Anglis extorquerentur. Nam ad Patayum conflixit cum Potone, Loreo & Bemontio cõtra sex Anglorum millia Talboto Duce superbo: vbi pugna maxima ac multiplex legionárijs militibus sagittarijs, equitibus, ancipiti euentu diu dimicantibus, tam auide, vt

pereundo recreari videretur: nec prius desitum est, quàm Talbotum capi accidit, quem facta cum Potone permutatione Angli recuperarunt. Deferuescebat Talboti iam multis annis inueterata fiducia: præsertim quod ipse iactabundus aliquãdo dixerat Henrico Regi, tunc Franciam ab imperio Anglorum ereptum iri, cum Carolus Rex coruum album vidisset. Contigerat autem pueros quosdam lusitantes in vestibulo regiæ coruum creta illitum tractare, prospero sanè augurio & spectantibus iucundissimo, præterquam Talboto capto, nec dum in sua præsidia reuerso, & Anglorum fortunam senescere indolente. At è diuerso Franci solito lætiores genio sine lasciuia indulgebant, sese accingentes solemnibus Regis Caroli Rhemos cogitantis, vt cœlesti oleo more maiorum atq; gaudio perfunderetur: idq; Iana sollicitante & numinis consensionem allegante, non paucis aulicis refragantibus, quibus periculosum putabatur Rhemis Regem credere, adeò circumiecta oppida Anglorum fidei obnoxia

armis perstrepebant. Porrexere tandem manus sententiæ puellæ Alenconius, Borbonius & Vandomensis Duces: nec pœnituit quippe cum ex animi sententia Rex corona festiuum caput cinxerit: milites donatiuo, populum congiario honorauerit. Quasi triumphans in arcem à templo perductus. Acclamatum est illi. CAROLO REGI FRANCORVM ÆTERNA SALVS. Christus seruet fortem, iustum, bonum Principem, auspicatissimum regni sui restitutorem, hostium expulsorem inuictum, stipatum fidelissimorum clientum numero, maiore virtutum. Verùm quia magnanimitas in otio ringitur plus quàm in negotio, illicò consecrato Rege redintegratum est belligerandi desiderium à Iana subtristi, quod ensem, quem tãtoperè amabat, fregisset quando paulò violentius, terrendi tantùm gratia, quasdam impudicas fœminas quateret, quas procul à castris esse antea edixerat: per experimenta cognoscens, parum armis profici cum Deus victoriarum dispẽsator spurcissimè offen-

datur. Cum autem Iana priſtinum retinens animum Compendium iuiſſet adiutũ ciues longa obſidione moleſtatos; & penè extrema patientes, dum non poteſt in arcto contineri, dum audet erumpere, dum cæteris lætius equo puncto alam ſuorũ prægreditur, in poteſtatem cohortis Burgundæ venit, traducta in Anglorum manus, & magna vi auri penſata. Diu deliberatum eſt Rhotomagi à Primoribus vtrum ſeruaretur incolumis. Talboto dicente, ſiquidem fœminam violaſſent, inuidioſam fore vindictam, non minus quàm fugam olim eorum quibus terrori fuiſſet. Reclamatum eſt illi à militibus, Veneficam & præſtigijs magicis imbutam Ianam aſſerẽtibus: quorum importuno conuicio paritum eſt, puella flammis exuſta vt tãquam aurum excoctum ſplendidiorem animam redderet Deo. Cauſabantur quidam Ianam, cum ſciret Anglos eò vini auidiores, quò magis deficiuntur, captiuos quoſdam qui nouerant vini copiam Aurelianum aduentare in liberiore cuſtodia habuiſſe de

industria, vt fugerent, & suos certiores vini instantis facerent: mox nocte concubia curasse vt carris vinum importaretur misto papauere: quod aurigis fugientibus per Anglos interceptum, somnum profundum illis conciliabat, & somni cognatam mortem, Francis ex improuiso contra sopitos per tentoria irruentibus, & pecudum instar iugulantibus. Id num Ianæ bono dolo euenerit, an magis hostium malignitate exprobratum, nolim affirmare. Tantum habeo admonere morientem illam tãquam ex testamento Francis reliquisse mœrorem, & prosperitatem eandem, quam viuens iisdem vbiq; attulerat. Nũquam enim desiere pessum ire Anglorũ conatus, & sponte sua festinabat ad Francos victoria, rotæ exẽplo in præceps labentis. Et fuit gaudiũ breue ac volucre Henrico Anglo Caroli Franci ex sorore nepoti, qui Lutetiæ diademate insignitus, nondum pubes, simulato ciuium studio & clara celebritate, sexto post anno sensit mœnia Parisiorum occupasse, non pectora deuota Carolo, quem se-

ria hilaritate receptum tantò ardentius coluerunt, quantò diutiùs optauerãt. Variè postmodùm luctatum est inter Francos Anglosq. Sed hi adacti ad petendas inducias sesquiannales impetrauerunt magis quàm obseruarunt: Et quamuis Græci inducias ἐκεχειρίαν vocauerint, id est, manuũ temperationem, quia eo tempore, licet pax non sit, à pugna tamen abstineatur: certè Angli ex oppidis Galliæ quibus potiebantur, clandestinis incursionibus erumpebãt, & prædas agebant opimas plerunq. noctu aut interdiu laruati & terrifici. Hæc Forcatulus.

De Medicorum autem familia Symphorianus Champerius in Francorum Regum genealogia, & in tractatu tertio trophæi Gallorũ, & in parallelia Heroum Galliæ ita scribit: *Afflictis Caroli septimi rebus, ex oppido Valcolore puella circiter annorum viginti cœlesti voce monita, Regem adijt, armisq. virilibus instructa, militis obiuit munus. Eius auspicijs & ductu, Aurelianensis vrbs ab Anglorum obsidio-* Medici, I.

ne eximitur, & aliquibus in locis prosperè pugnatum est. In Gallia quoq; Belgica receptæ pleraq; ciuitates, & in ijs præcipua Rhemensis, vbi Carolus more maiorum tinctus oleo sacro, regium capitis decus accepit. Interim Puella dum Gallis obsessis apud Compendium subsidio venisset, eruptioneq; facta in oppidum se reciperet, insidijs excepta venit in hostium potestatem, quam Ioannes Luxemburgus, Anglis vt ancillam vendidit. Illi Rothomagum deductam vltimo supplicio afficiunt: adiecta causa quod mulier oblita sui sexus, habitũ viri sumpsisset.

11. Nicolaus Vignerius Medicus & Historicus regius in tertio tomo bibliothecæ historialis, multis nominibus nostratem puellam, nempe ob virginitatẽ, strenuitatem, in bello felicitatem, & vitæ probitatem cõmendat, suspicit, & admiratur.

Historici.

I. Iam ex Historicorum ordine Paulus Æmilius Veronensis, vir sapientiæ & eloquentiæ laude præstans, lib. 10. de rebus gestis Francorum in vita Caroli VII. rem

nostram

nostram sic literis comprehendit. *Ioanna Lotharinga Puella duodeuiginti circiter annos nata, sub patre oues pascere solita, ad Regem ducitur, prædicans se mente diuinitus admonitam venire, profiteriq; se Anglos Francia exacturam. Mirabundo Rege, multiplici percontatione procerum versata, semper sibi constitit, nullumq; ei verbum nisi pudicum sanctumq; excidit. Consilio Ducum sanctorumq; non aspernanda res visa; militari ergo habitu, accepto ab Rege exercitu, ducibusq; traiecto flumine, obsessis per intermissas hostium munitiones septimum iam mensem clausis auxilia commeatusq; intulit, crebrisq; eruptionibus obsidionem soluit; circunferendoq; bello, varijs Ducũ conatibus circumiecta oppida quæ hostis occuparat, recepit, leuibus prælijs, quæ tamen in summã vniuersæ rei spem proficerent, Anglo fatigato. Ad tria hostium millia in Belsia cæsa, anno eius seculi vndetricesimo: Nec fortunæ se offerenti defuit Francus Rex; vtq; augustior suis, hosti formidolosior foret,*

authore ac duce Puella Rhemos ad sacrũ chrisma, regniq; insignia suscipienda profectus, &c. Et paulò post. *Longè aliã fortunam nacta est Ioanna quàm qua Aurelianum seruarat. In oppidum quidem irrupit, sed eruptione facta postea, in potestatem hostium venit. Rothomagum ducta, ab Anglis superstitionis falsæq; religionis insimulata, igne cremata est, hoste iudice, nemine eo loco pro captiua contra hiscere auso. Aurelianenses Puellæ statuam posuere. Eam summis laudibus efferunt & admirantur Pius Pontifex maximus, & Antoninus Florentinus Pontifex.*

11. Baptista Fulgosius Dux Genuensis lib. 3. dictorum factorumq; memorabilium cap. 11. de fortitudine. nostræ Deboræ meritam hanc laudem aspergit. *Ioanna non tutata est solùm Galliam, verùm etiam ex Britannorum manibus recepit, diu antè à Britannis oppressam. Regnante enim Carolo VII. cum Parisiorum vrbem magnamq; Gallici regni partem Britãni possiderent: Ioanna Iacobo Darco patre orta,*

in Lotharingorũ pago, qui Dampremum dicitur, cum nondum 15 annum superasset, propter admirandas visiones fatidica putabatur. A Carolo igitur Lotharingorum Principe, ad Robertum Baudricurtum in Vallicolore militarem Gallorum Ducem, & ab ipso ad Carolum septimum Regem in Gallia designatum missa fuit. Huic cum largè victoriam polliceretur, non ante fides habita fuit, quàm experiendo in multis quæ futura prædicabat, verax inuenta est. Ita fidem indepta, delatam tandem Gallici exercitus summam atque imperium suscepit. Armata igitur atq; ingenti equo insidens cum voce gestuq; à vero militari duce non abesset, ingenti animo Aurelianorum vrbem arcta obsidione ab eis oppressam liberauit, vbi pugnando vulnus in humero accepit, nec verò armorum fragor, effususq; in prælio sanguis, & sæua mortis genera, quibus cadere in prælio pugnantes intuebatur, virginis animũ terruerunt, sed ceu efferata anima, & Ducis & militis munia impleuit; inde exerci-

tu ad Trecas perducto, vrbem eam contra omnium sententiam adorta cepit. Carolumq; septimum qui designatus Rex erat, diademate vt moris erat Rhemis insigniri vt regem iussit, salutisq; anno quadringentesimo vigesimo nono supra mille, cum Parisiorum vrbem oppugnaret inter primos milites in muros ascendit, neq; quanquam crure sagitta traiecto ab incepto destitit, tantumq; formidinis de se Britannorum animis iniecit, vt quemadmodum ante Britannorum Galli conspectum non sustinebant, ita postea Pulicellam Britanni ferre non possent.

111\. Laonicus Chalcondylas Atheniensis lib. 2. de rebus Turcicis in Ioannæ tempora laudemque delapsus, *Erat* (inquit) *forma haud illiberali, quæ dicebat sibi cum cum Deo esse colloquium: hæc regebat Gallos, qui ipsam sequebantur, mulier autem cum foret militiæ Dux, indicabat numinis auspicio, se scire, Britannos cum exercitu accedere. Commissa tandem pugna, cum victoriam Angli non essent adepti, in castra se receperunt, postero die freti virtute*

mulieris, quæ exercitum ductabat, prælij potestatem faciunt. Eo in prælio hostes fugarunt fugientesq; persecuti sunt. Et Galli cum recepissent animos, iamq; fortitudinis collegissent famam, fortiter cõtra Britannos dimicantes, vrbes suas recuperarunt, regnumq; tutati sunt: quamuis plurimi & maximi exercitus è Britannia in Galliam transirent, tamen Galli semper victoriam pugnantes inuenere, hostes fugere coegerunt Caledam, tandemq; penitus eos è Gallia pepulerunt.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus in tertio libro X. Enneadis ait. *In hæc tempora incidisse crediderim Ioannæ Gallicæ virginis facinus illud omni æuo memorabile, quum Gallorum opes Anglicis bellis fractæ iacerent. Puella cælesti voce monita (vt creditur) virili habitu armisq; instructa ductare cœpit exercitum, dein cum hostibus sæpius congressa inter primos dimicans, multo maximam Francorum regni partem ex Anglis recepit.* IV.

Bonfinius lib. 8. decadis 3. *Ioanna Gal-* V.

lica Puella dum oues paſcit, tempeſtate coacta in proximum ſacellum confugit: ibi obdormiens liberandæ Galliæ mandatum diuinitùs accepit.

VI. Paulus Conſtantinus Phrigio in chronico regum regnorumq; omniũ. *Temporibus iſtis ex oppido Valcolore, puella annorum circiter viginti, Joanna nomine armis inſtructa, militis ſubibat munus, cuius auſpicijs multis in locis proſperè pugnatum eſt, Remiſq; recepta, Aurelia obſidione liberata, Carolus Remis vnctus eſt & coronatus, Ioanna capta & Rothomagi cremata.*

VII. Henricus Pantaleon Phyſicus Baſilienſis, S. Lateranenſis Palatij atque Cæſarei conſiſtorij Comes, libro 5. diarij Hiſtorici ſcribit, *Ioannam puellam Lotharingam Aurelianenſes ſexto menſe obſeſſos liberauiſſe, & hoſtes profligaſſe.*

VIII. Pontus Heuterus Delfius Præpoſitus Arnhemenſis, libro 4. rerum Burgundicarum in vita Philippi Boni hiſtoriam puellæ ſic belliſſimè deſcribit. *Huc vſq;*

Anglis fortuna, contra Francos fauere, hîc insignium victoriarum triũphorumq́ finem facere, ac quas immenso sanguine vrbes acquisierant, veteribus tradere possessoribus, Francorumq́ populum externo pressum iugo respirare, resumptoq́ iam tãdem animo, Anglicum excutere imperium voluit, non ductu nec auspicijs alterius (Cæsaris, Alexãdri, Pompeij, aut Caroli, non prudentia tot Principum primæ nobilitatis, non fortium Præfectorum bellandi peritia clarorum opera, sed quod omnium veterum memorabilia superat exempla ac facinora, ductu ignotæ, ignobilis ac rusticæ puellæ octodecim annorum, quæ ad hoc vsq́ tẽpus in patria sua Lotharingia, vaccas, boues, ac oues pascere erat solita, nullo quã Ioannæ nota nomine, quæ à Deo se Regi in auxilium missam dicens, in eius consilijq́ sui conspectum admissa, tam præsenti animo, ac prudenter causam aduentus sui exposuit, vt statim sexcẽtis præficeretur equitibus; quodq́ nullus Regiorũ Præfectorum hactenus potuerat, inuitis Anglis, dictis

cum equitibus Aureliam intrat, commeatuq; ciues ad extremam inopiam redactos iuuat, erumpensq; cum præsidiarijs, ac instar viri armata equo insidens, inter primos pugnam ciet, tria castella opportunis locis ab Anglis erecta expugnat, omnibusq; qui intus erant iugulatis, tandem relinquere obsidionem cogit, qua victoria fidem penes Regem nacta, eundem in Rhemos ducit, sacro ibi oleo veterum Francorum more hoc anno inungi facit, multaq; alia oppida munitaq; loca, eius ductu Rex Carolus recuperat, cogiturq; puellæ huius timore Bethfordius legatos in Flandriam ad Philippum Bonum mittere, quo communi consilio ac viribus, viri Principes belloq; docti, rusticæ puellæ resisterẽt. Venit oct ingentis stipatus equitibus, veteresq; fœderis conditiones cum Anglis renouat, iurantes se Carolum Valesium Biturigum Regem (sic enim per cõtumeliam Angli Carolum VII. vocitabant) iunctis viribus persecuturos, nec pacem alterum sine alterius consensu facturos. Et paulò post idem author

thor scribit. *Cumq; Puella Ioanna quingentis comitata equitibus obsessis Compengis auxilio venisset, secundo die præsidiarijs ciuibusq; eductis, castellum cui Bando Noiellus præerat expugnasset, nisi ex omnibus castris in auxilium aduolassent. Puella multis vtrinq; interfectis ac vulneratis vrbem repetere cogitur: cũq; inter postremos pugnans cæteris euadendi locum faceret, è signo militari ac veste quam supra arma ferebat agnita (erat autem ea purpurea byssina auro argẽtoq; intertexto flauescẽs) à robusto equite qui vestem apprehenderat equo detrahitur; & quamuis Franci extrema vi pro ea liberanda decertarent, pulsi, dedere sese Ioanna cum Pontone œconomi sui fratre filio Notho Vandommæ domini cogitur, ductaq; Marignium magno Francorum cum dolore Anglorumq; gaudio, arctæ custodiæ traditur. Neminẽ enim è Regis Caroli Præfectis Angli magis verebantur. Bonus quum eam esset allocutus, Ioanni Lutzenburgio commendat, qui Baulium, indeq; Baureuorium eam per-*

Ioannæ vestis militaris.

ducit, vbi fermè biennium detenta tãdem Anglorum Regi (cum eam importunis indesinenter verbis diu petijsset) traditur, eiusq; iussu instãtibus Iunij Cal. anno 1431. Rothomagẽsi in foro exuritur, magis odio iraq; (quod ab ignobili puella tot clades viri bello illustres accepissent) quàm quod aliquid eis de tam indignæ sæuæq; mortis merito constaret. Accusabant eam veneficij, quodq; malignorum spirituum opera tractasset bella, ac proinde à religionis Christianæ decretis & veritate defecisset, quemadmodum Rex Henricus, qui hoc tempore in Franciam appulerat, sua manu Bono perscripsit. Sunt qui fabulam, quæ de Puella Ioanna scribimus, putent. Sed prætorquam quod recentioris sit memoriæ, omniumq; scriptorum libri, qui tum vixerunt, mentionem de ea præclaram faciãt, vidi ego meis oculis in ponte Aureliano trãs Ligerim ædificato erectam huius Puellæ æneam imaginem, coma decorè per dorsum fluente, vtroq; genu coram æneo crucifixi Christi simulachro nixam, cum inscriptio-

ne positam fuisse hoc tempore, opera sumptuq; Virginum ac Matronarum Aurelianensium, in memoriam liberatæ ab ea vrbis Anglorum obsidione. Adhæc habebam, dum hæc scriberem, historiam lingua Gallica manu scriptam Georgij Castellani, qui eleganter, exactèq; vitam Philippi Boni exarauit, testaturq; aliquot locis sese hoc tempore vixisse, ac puellam Ioannam vidisse, quæ ex ignota, rusticaq; puella bellicis facinoribus eò peruenisset, vt ei Rex Carolus sumptus, quibus Comitis familiã æquaret, suppeteret, ne apud viros militares per causam inopiæ vilesceret. Conspiciebãtur enim eius in comitatu præter nobiles puellas, Procurator domus, Stabuli Præfectus, nobiles adolescentes pueri à manibus, à pedibus, à cubiculis, colebaturq; à Rege, Proceribus ac imprimis à populo instar Diuæ habebatur.

Ioannæ comitatus à Rege concessus.

IX. Georgius Lilius Britannus in Anglorum Regum chronico anno 1428. *Ioanna Puella armata Aurelianenses obsessos commeatu iuuat, coactisq; hostibus obsidio-*

nem relinquere ad VIII. Idus Maij Anglos viriliter expulit. Et paulò post. *Puella Carolum Regem Remis consecrandum ducit*. Deinde, *Puella Compendium obsessum vi & astu ingressa, cum in hostes eruptionem faceret, à Io. Lucemburgensi capitur, Rothomagumq; ad Ducem Somersertensem mittitur, dein magiæ damnata exuritur.*

x. Polydorus Vergilius lib. 23. Anglicæ historiæ in vita Henrici sexti. *Dum pacificatorijs legationibus Aurelianenses cum hoste agũt, Carolus copias vndiq; arcessendas, Principes Francos ab Anglorum amicitia omnibus pollicitationibus alienandos curabat: Item commeatum quem ad obsessos Aurelianenses mittere, studio parabat, cùm ad eum puella quædam nomine Ioanna, viginti circiter annos nata ducitur. Hæc ob seruatam virginitatem, Puella dicta, & singulari prædita animo ac fatidica, cum ad Carolum adiuisset, eum primo vestitu regalem personam dißimulantem internouisse, deinde ita salutasse fer-*

tur: Bono Rex animo es, atq; mitte timorẽ, vinces enim, & me duce, patriamq; tandem in libertatem priſtinam vindicabis, ſi non maieſtate indignum arbitrabere fœminæ opera vti. Carolus qui rebus ſuis iam affectis valde timebat, facilè dictis credidit, in ſpem bonam omnino ingreſſus, vt qui iam tum aliquid diuinitatis in mente Puellæ ſibi perſuadebat ineſſe, ex eo, quod veſtitu non regio indutus ab ea fuiſſet Rex ſalutatus. Sed aliud fuit, quamobrem in eam ſpem venerit: Puella enim petijt gladium, quem diuinitus, vti aiebat, erat facta certior in templo diuæ Catharinæ in Turonibus, inter antiqua donaria pendêre. Miratus Carolus, gladium inquiri, ac inuentum protinus Puellæ afferri iuſsit, & periculi potius eius virtutis faciundi cauſa, quàm quod magnoperè confideret facinus aliquod egregium à fœmina edi poſſe, armatorum manum cum parte commeatus attribuit, vt obſeſſos ſubleuatum iret. Puella ita armata, dux agminis Aurelianum proficiſcitur, ac ſiue fruſtrata

custodes, siue numine diuino tecta, noctis silentio inter tela hostium in vrbem intrauit, cibariaq; intulit, sine vllo suorum incommodo. Angli interea qui certum habebant ciues ob rei frumẽtariæ inopiam, non posse diutius obsidionem ferre, remißius solito vrgebant, negligentiusq; excubias ducebant: sed vbi cognouerunt Ioannam puellam commeatum supportasse, etsi cõtemptui habebant fœminam, quæ militaria munera obiret, tamẽ ob missum subsidium ira accensi, acrius multo hostem premendum statuunt: Itaq; Duces suos cohortati vt aliquãdo pro tantis laboribus, fructum victoriæ caperent, ijs qui primi in murum ascendissent, præmia proponunt. Qua re pronuntiata, subitò ex omnibus partibus euolant, murumq; complẽt simul tormentis cuiusq; generis, simul telis hostes à defensione murorum arcentes, idq; sine intermißione faciunt. Hostes quamuis re noua perterriti, sese tamen non deserebant, nec animo dimittebant, cum Ioannes Nothus per nuntios celeriter Carolo significauit,

ciuitatem inopia rei frumentariæ premi, ac vsque eò hostem vrgere vt non possent, vires cuiusquam satis esse, atque rem denique in tali periculo versari, vt breui malè casura esset, & ne id accideret, positum in eius diligentia atque virtute. Quibus rebus cognitus, Carolus quàm celerrimè potuit & subsidium & commeatus copiam misit. Exercitus Aurelianum ductus, ac castra propè ad millia passuum duo posita. Tum Franci de suo aduentu Puellam quæ Aureliani erat admonent, rogantque, vt postero die cū electa suorum manu obuiam veniat, seque tutò intromittendos curet. Quod vbi per Anglum fieri licuit, qui ex vsu suo fore ducebat, si quamplurimi in vrbe essent, in qua iam fames dominaretur, postridie illius diei omnes vno momento, contendentes de vrbe erumpunt, proximumque propugnaculum continenti impetu petunt, quod post multam factam vtrinque stragem capiunt, atque incendunt, deinde maioribus animis aliud longè maius oppugnant. Hic quia benè magna defensorum manus ade-

rat, vehemētius depugnatur. Francus qui numero præstabat, facta corona, vndique vrgebat. Anglus vitio munitionis, quæ iam frangi cœperat, omnibus rebus premebatur, ægreq; sustineba,tcui ita laborāti ne Talbotus quidem qui in propinquo erat & tertium tenebat propugnaculum, subsidio ire poterat, veritus ne se absente, ea quoq; munitio amitteretur. His igitur difficultatibus Angli aliquandiu preßi, ad vltimum loco summouentur, qui facto repentè cuneo ad Talbotum in tertium propugnaculum se receperunt. Talbotus nulla facta mora, cum expedito exercitu aduersus multitudinem contendit, qui non mediocri terrore illato, & suos firmauit, vt se ex magno timore colligerent, & hostes compreßit adeò vt protinus se intra mœnia coniecerint. Cædes ab Anglo minor facta, quod munitio minus firma fuerat, in qua primum erumpentium impetum excepit. Haud ita multò post Talbotus conuocato cōcilio, causas quàm multas docet, quamobrem obsidionem ciuitatis diu

oppressæ,

oppressæ, & perinde quasi ope diuina defensæ, aut modis omnibus relinquendã, aut in aliud tẽpus reijciẽdam existimet, cũ meliore omine id opus tẽtari licuerit, vt ne tempus teratur, quo hyeme iam confecta, ad bellum magis necessarium eatur. Probata non tam libenter quàm necessariò generatim à cunctis sententia, & dato profectionis signo, Magdunum pergunt. Discessu Anglorum omnia repentè apud Aurelianenses lætitia & cõgratulatione plena sunt, quod tantum periculum vitassent: quare id beneficij Deo acceptum referentes, in plures dies supplicationibus decretis, orarunt ad cuncta Diuorum templa, communem victoriam exposcentes. Hinc profectò videamus licet, illum aliquoties minus consequi, qui plus nimio poscit: equidem Angli vincere potuerunt, sed existimantes suæ dignitatis non esse, admittere Aurelianensium deditionem, aliter atq; petebant factam, neglexere victoriam, perinde quasi in manu esset: verùm tantum post abfuit, vt Aureliani potiti sint, vt eos necessitas

ab incœpto auerterit. Franci autem ob pulsum hostem gloriantes, reliqui negotij gerendi facultatem nequaquam dimittendam statuunt, qui continuò per omnem agrum Aurelianensem percurrunt, oppida quæ hostis præsidijs tenebat, recuperandi causa, & primùm Gergeum petunt, paucisq; pòst diebus capiunt, amplius ducentis Anglis interfectis, & quadraginta captis: ex suis verò militibus trecentos desiderarunt. Alia vtriusque exercitus egregia facinora persequitur idem Polydorus, qui quamuis Anglorum fuerit stipendiarius, tamen non ausus fuit Ioannam damnare, sed eius virtuti & innocentiæ suffragatur, & tandem ait, *sententiam latam in Ioannam visam profectò fuisse post homines natos durißimam, quæ neq; molliri, neque mitigari tempore potuit. Sanè fœmina pro patria ad virilia decora excitata, digna fauore videbatur, cum præsertim permulta extarent parcendi exempla, & illud potißimum à Porsena Hetruscorum Rege editum: is enim composita cum Romanis*

pace, cum obsides accepisset, & in ijs Clæliam Virginem, & illa dux agminis aliarum virginum, frustrata custodes inter tela hostium Tyberim tranasset, ad suosq; confugisset, ac inde ex fœdere restituta fuisset, nõ affecit Virginem pœna sed collaudatam & parte obsidum donauit, & domum remisit. Hæc Polydorus.

Ac commodè cum proximis hisce duobus rerum Anglicarum scriptoribus, conspirant Scotorum Historici duo, Hector Boëthius Deidonanus Scotus vir ornatissimus, & singulari doctrina praeditus, qui in libro XVI. historiæ Scotorum num. 10. 20. & 30. de eadem Ioanna sic scribit. *Clades longè maxima Francis fuit vndiq; post victoriam, & Anglis & Burgundionibus Franciam inuadentibus, ac simul Aureliam obsidentibus. Actumq; prorsus de Franco tum nomine fuisset nisi virgo quædam Ioãna nomine virili vestitu induta, armisq; egregiè exercitata Carolum propè desperantem erexisset, atq; ad meliora excitasset. Quod numine diuino* XI.

factum non absurdum est credere. Itaq; omni ope destitutũ humana Carolum cum Ioanna per Campaniam Rhemos contendentem, omnes eum Campani excepere volentes, reiecto Anglorum iugo, omniaq; oppida, arces, castellaq; illi tradiderunt. Rhemos quoq; accedentem quæ tum Anglorum partibus fauebat, læta excepit ciuitas, Regemq; solemni ritu salutarunt. Inde Ioanna Duce varias Franciæ partes adiens, magnam regni partem ab hostibus occupatam recepit. Fœlix vndiq; ac prosper successus fuit, donec eruptione, Ioanna cum hostium copijs pugnans, dum victa cum suis à premente multitudine portam Compendij oppidi ingredi prohiberetur, à Ioanne Luxemburgensi à Burgundionibus stante capta est: qui illam continuò Anglis vendidit. Angli verò extemplò Rothomagum eam ducentes accusarũt, quod violatis humani generis legibus, armis ac veste virili fœmina vteretur, ac præterea magicis artibus ab humano vsu prohibitis operam daret: ac dum in foro se excusare conare-

tur ſubiecto igne concremata eſt.

Ioannes Ferrerius Pedemontanus libro 18. hiſtoriæ Scotorum num. 70. *Puello Henrico ſexto & Franciæ Angliæ Rege ſalutato, orta diſcordia inter Burgũdos Angloſq́; tum Franciam armis occupatã opprimentes, Comite Sariſburienſi incerto machinæ bellicæ quam bombardam vocãt, ictu occiſo, aduerſa uti fortuna cœpere. Franci ex occaſione animum recipiẽtes duce fœmina (Galli vocant Puellam Ioannam nomine) vt non ſine diuino fieri numine appareret, fortiſsimè non modò Anglos ſuſtinuerunt ſed etiam omnibus fermè prælijs cœperunt eſſe ſuperiores.* XII.

Author opuſculi doctrina refertiſſimi de illuſtribus fœminis. *Regnante apud Gallos Carolo ſeptimo, quum Angli omnia populabundi paſsim irrumperent, & iam proſpero fortunæ zephiro adiuti, nihil ſibi non pollicerentur, deſperatis Gallorum rebus adfuit Ioanna magni ſpiritus virguncula, quæ attritos Gallos animãs ad vltionem & libertatis gloriã, prima belli cam-* XIII.

pum ingressa, non prius suos hortari & ipsa certare desinit, quàm hostem in fugam verterit reportata victoria.

XIV. Ioannes Tillius Meldensis Episcopus, in Chronico de Regibus Francorum à Pharamundo vsque ad Henricum secundum. *In rebus anni* 1429. inquit; *Aurelianenses omni auxilio miserè destituti Burgundioni dedere se statuerant, sed contentione Anglorum Ducum res infecta fuit. Quod ægerrimè Burgundio tulit. Joanna Puella armata obsessos iuuat coactis hostibus obsidionem relinquere, ad octauum Id. Maij, eosq; virtute minimè puellari expellit. Fracis deinde res melius ac fœlicius procedere cœperunt. Ioannes Nothus Aurelianensis. Pataiense in Belsia prælium. Cæsis Anglis Ioannes Tâlbotus capitur. Puella armis per loca ab hostibus occupata Regem Carolum Rhemis consecrandum ducit, multasq; in itinere vrbes recipit. Bedfordiensis Anglus prælio dimicare velle simulans, Regem Parisios rectà contendentem remoratur. In oppugnatione Lutetiæ ad*

portam D. Honorati Puella vulnerata, exercitus se recepit, quæ illum in alias partes Galliæ ducens aduersus Anglos, ob successus & victorias semper celebratur. Compendium obsessum vi & astu ingressa, cum aliquando in hostes eruptionem faceret, à Ioanne Lucemburgensi capitur, Rothomagumq; ad Ducem Sommersetēsem mittitur, deinde inuidia & iniuria artis magiæ damnata exuritur.

Ioannes Tillius superioris frater & actuarius in suprema Curia Parisiensi libro primo Commentariorum & disquisitionum de rebus Gallicis ad nostram historiã hæc scribit. *Carolus septimus fuit Rex parentis obitu: sed quia Angli & Burgundiones hostes agrum Campaniensem, Veromandum, finitimosq; obtinebãt, non potuit Remis coronari nisi decimo septimo Iulij, anno 1428. quo viam armis sibi aperuit, & consilio Ioannæ Aræ (quæ dicitur Virgo) filiæ Iacobi Aræi & Isabellæ Valteuriæ natæ Dumprinij ad Mosam in Tullensi diœcesi. Hæc enim Regem dedu-* XV.

xit, & armata coronationi astitit, vexillum album manu gerens, cui inerat figura Christi lirinum florem gestãtis manu, monita (vt aiebat) cœlesti viso. Venerat autem sub tempus Ascensionis anno 1 4 2 8. cum patruo quodam suo ad Vallemcoloriam, vbi Baudricortensem Præfectum Vallicoloriæ (qui postea fuit Mareschallus Franciæ) orauit vt se ad Regem mitteret, cui visiones certas retegeret & officium exhiberet: deinde verò ineunte quadragesima ad Vallemcoloriam eadem de causa reuersa est, cui Baudricortensis impulsus ex sententia consilij adiunxit Bertrandum Poladium armigerum, Ioannem Metensem, Colletum Viēnensem, & Richardum Arcuarium, duces itineris. Hæc itaq; mutatis vestibus suis puellaribus & rubris, vt commodius iter conficeret, virilia induit vestimenta: ita de nocte solùm cum suo comitatu pergens per regiones ab hostibus occupatas, exponebat quæ viæ tenendæ essent, quamuis à suo pago nunquam discessisset procul. Ita ad Regem perducta est Chinonium,

nium, vbi quæstione habita fuit armata, & ad suppetias Aurelianis ferendas ablegata: qua obsidione soluta & Rege coronato Remis, illa in officio pergens eruptionem è Compendiensibus fecit, in qua per satellitem quendam Comitis Lignij capta anno 1430. in castellum Bellorouorij abducta, & ibi tres menses detenta est, posteaq; demum tradita Regi Angliæ numeratis mille libris Turonẽsibus & tercentenis libris in prouentum annuum attributis. Sed quia fuerat in diœcesi Bellouacensi rapta, Petrus Caucho Bellouacensis Episcopus Anglicarum Burgundarumq; partiũ, quæstionem de ea in arce Rotomagensi habuit: cumq; inspectione facta Virgo deprehensa esset, tanquã si fuisset maga, & propterea quod viriles vestes tulerat, sententia lata in abiurationem & perpetuum carcerem damnata est, adiecto interdicto ne viriles vestes porrò sibi indueret: cum tamen alias neq; darent ei, neq; dari paterentur quàm eas ipsas viriles quibus vsa fuerat. Ita post octiduum, altera sentẽtia ab Episcopo Bel-

louacensi lata in crimen iudicata est recidisse, & commissa brachio (vt vocant) seculari, à magistratu in ignem damnata, & in foro vetere Rotomagensi vsta est. Atque hac quidem occasione visum est infamiam Regi Carolo inurere, ac si ad rem militarem viros adhibuisset malè sentientes de fide; quod alienum erat à Rege Christianissimo. Hanc verò maculam vt elueret Rex, die vigesimo septimo Nouembris, anno 1455. in æde Lutetiana stiterunt se mater Joannæ, & fratres ipsius Ioannes ac Petrus Aræus, coram Ioanne Rhemensi Archiepiscopo, Guilhelmo Parisiorũ & Richardo Constantiæ Episcopo, quos Papa Calixtus tertius iudices dederat, vt de inanitate & vanitate quæstionis habitæ, & sententiæ in defunctam latæ cognoscerent atque statuerent. Quod efficientes die octauo Iulij 1456. sententia lata irritam quæstionem totam & sententiam condemnationis pronuntiarunt: præterea vt Ioannã defunctam absoluerent, statuerunt crucem in foro vetere erigi ad iniustæ executionis

monimentum. Atq; hoc quidem auxilium damnant leuiores quidam, alij ducum certorum astutiæ acceptum ferunt, exempla Deboræ, Iaëlis, & Iudithæ minimè recordantes: sed non est decurtata manus domini, cui placuit Puellæ opera restituere victoriam Regi. Omnibus enim notum est, quàm breui exercita & armis assueta fuerit, hostes verò ex quo se ad arma contulit hæc virgo, magis ac magis inclinasse.

Franciscus de Rosiers Archidiaconus Tullensis tomo quinto stemmatum Lotharingiæ Ducum. *Dum Francia iãiam peritura crederetur, Iana puella Lotharinga pascendis pecoribus sub ferula paterna assueta ad Regem perducitur, quæ se à numine monitam dicẽs, breui Anglos exacturam è Francia profitebatur. Ea licet multiplici percõtatione obuersata esset, non destitit tamen à se ipsa, sanctè, pudicèq; loquuta. Rex mirabundus, proceresq; rem diuinitùs patefactam non aspernandam arbitrati, chlamide, militariq; habitu puellam induunt, copiasq; ac duces illi cõmit-* XVI. Iana puella Lotharinga.

tunt. Breui crebris velitationibus initis, commeatus, nempe septimo, postquam obsidebatur, mense, Aureliam inuexit, liberauit, Anglumq; fatigauit. Rex demum ad sacrum Rhemense cum Iana proficiscitur, fanum Florentini munitionibus, firmauitq; præsidio, Trecenses recepit, Catalaunumq; subinde nullam dedēdi moram fecit. Rhemi continuò fidem dedêre, Suessionesq; in regiam manū redière. Dux Bethfortis cum exercitu occurrēs Regi incassum tempus triuit, Lutetiamq; eodem progressu regius miles frustrà perductus. Nam Bethfordiensi reuerso ad vrbem defendendam omnis nauata est opera, quin Iana vulnere affecta Petri monasterium eripuit hosti. Is Compendium eodem tempore circumducit, quò cùm Iana se contulisset, irruptione facta, hostis potestati submittitur. Tum capta Rhotomagumque ducta, religionis adulterinæ insimulatur viuaq; comburitur. Aureliani statuam diuæ memoriæ cōsecrarunt.

Carolus VII. ablata recuperat.

XVII. Tam multis hisce cum sit etiam quod

addat nobilis vir Petrus Opmeerus Amſtelrodamus Batauus in opere chronographico orbis vniuerſi iure à nobis ſuum hic ſibi locum vendicat. Is poſteaquam annotauit Ioannam Lotharingam Aurelianenſes obſeſſos liberaſſe & hoſtes profligaſſe; Carolum ſeptimum patri ſuccedentem & Biturigibus ſe cōtinentem, ab aduerſarijs ſuis Regem Biturigum fuiſſe appellatum, ita loquitur. *Attamen ipſe titulum Regis Franciæ & ſigillum vſurpabat, quamuis non eſſet Rhemis conſecratus. Porrò cum vndiq; Rex ab Anglis vexaretur; venit ad eum Puella octodecim annorum nomine Ioanna, patre Iacobo Darco, & matre Iſabella Damprema Lotharingiæ pago orta, atq; oues paſcere ſolita, dicens ſe miſſam diuinitus ad Regem vt ei indicet gladium eſſe in æde Dominæ Catharinæ Fourbonſi apud Turones, quo accincta eſſet Aureliam obſidione ſolutura. Itaq; virilibus induta indumentis & armis Gallicas ducebat acies, & ex Anglorum manibus magna ex parte, prima inter primos*

pugnans victoriam eripuit, atq; vrbem obsidione semestri liberauit. Gratitudinis ergô posuêre Regi Ioannæq; æreas statuas in ponte Ligeris S.P.Q. Aurelianus. Deduxit verò & Carolum Rhemos, vbi decimo sexto Kalendas Augusti vnxit eum Reginaldus Episcopus in Franciæ Regẽ. Cum verò Burgundos Compendium obsidentes vellet abigere; capta fuit nono Kalendas Iunij & vendita Anglis. Qui eam dicentes magam combusserunt Rothomagi in foro. Scripsitq; pro ea apologiam Ioãnes Gerson Theologus Cancellarius Parisiensis: similiter & Henricus Gorcomius Batauus.

XVIII. Nicolaus Vignierius in rerum Burgũdicarum chronico, ad annum 1429. *Aurelianum ab Anglis & Burgundis diu obsessum auspicijs & ductu vnius puellæ nomine Ioannæ liberatur, & ab eo tempore Francis res melius ac felicius procedere cœperunt.*

XIX. Sebastianus Veronius lib. 3. Christianæ ætatis sæculo 15. *Gallia ab Anglis & Burgundis maxima clade afficitur, Carolo se-*

ptimo qui anno 1422. Carolo VI. successerat propemodum regno exuto, ac apud Bituriges tantisper delitescere coacto, quo ad à Ioanna Virgine Aurelianensi militari manu ereptus ac Rhemos vt coronaretur deductus est; Parisijs interea proclamato in summo templo Rege Henrico sexto Anglo.

Aubertus Miræus Bruxellẽsis in chronico rerũ toto orbe gestarum anno 1428. scripsit, quæ Pap. Massonus in vita Caroli 7. & Ioan. Mariana lib. 20. de rebus Hisp. referunt. XX.

Ioannes Funccius Norimbergensis in chronologia annotat, *Ioannam puellam annorum 20. arma cepisse, Regemq; Carolum contra Anglos & Burgundiones magnificè defendisse, & captam tandẽ ab Anglis Rothomagi crematam esse.* XXI.

Eadẽ Conradus Lycosthenes in chronico prodigiorum ac ostentorum ad annum 1428. XXII.

In secunda parte promptuarij Iconum insigniorum à sæculo hominum in vita XXIII.

Caroli VII. habentur hæc verba. *Ioanna Puella armis instructa militis subit munus, obsessos Aurelianenses iuuat, hostes cogit obsidionem soluere, per loca ab hostibus occupata Regem Carolum Remis consecrandum ducit, multasq; in itinere vrbes recipit, tandem ab hostibus capta Rothomagi exuritur. Lutetia Francorum armis Angli pelluntur.*

XXIV. Georgius Braun & Franciscus Hogẽburgius in indice libri secundi & tertij de præcipuis totius vniuersi vrbibus. *Aurelia, florentissima Galliæ vrbs, loco admodum opportuno sita, diues, ciuibus armis exercitatis potens, munitissima, non in Gallia modò, sed tota etiam Europa clarissima. De memorabili, post omnium hominum memoriam, obsidione eius, qua Carolo VII. eius nominis Rege, anno 1428. ab Anglis cincta fuit, & miraculosè ab Ioanna Lotharinga virgine belli duce liberata; Vide benigne lector, integrum libellum, Ioannis Ludouici Micquelli Ludimagistri Aurelianensis ad Carolum Lotharingum*

Cardina-

Cardinalem. Res enim paucis, vt hic locus postulat referri non potest. In eius liberationis perpetuam memoriam, octauo die Maij, quotannis totus vrbis magistratus, vniuersa plebs & omnes Ecclesiasticorum ordines, generali processione gratulabundi obire ciuitatem consueuere.

Ioannes Auentinus in fine lib. 7. annalium Boyorum. *Carolus septimus Gallijs expulit Anglos, victricibus vbiq; armis Virgineis auspicijs, Puella Duce cælitus demissa, paternum principatum recuperauit.* XXV.

Similia Ioannes Besnardus Reginæ Angliæ Secretarius in summario annalium & chronicorum Angliæ in originali manusctipto in Bibliotheca regia Parisiensi asseruato, prout me ibidem legisse sanctè assero, testorque. XXVI.

AC ne longior pedestris oratio, quanquam est à nobis insigniter variata, tædium cuiquam, & satietatem afferat, placet Poëtas, sed qui arma Ducesque ca- Poëtæ.

nere nouerint, inducere huc tantiſper numeris modiſque perſonantes.

1. Hubertus Momoretana, is qui Ioannæ Puellæ vitam ſeptem libris bellorum Britannicorum belliſſimè deſcripſit, pulchrè libro ſexto tum eam oſtendit ab Angelo aditam animatamque vt Galliæ rebus deploratis opem ferret, tum honorificentiſſimis titulis cohoneſtat. Locum alacrius vt legas lector tibi eius principiũ delibo, quod obiter ſupra retulimus.

Virgo pudicitiæ ſpecimẽ; gratiſsima mũdo,
Grata polo: quã blãda Venꝰ mollisq́; Cupido
Flectere non potuit, tincta in Phlegetonte ſagitta
Me tibi ab aſtriferi mittit regionibus orbis,
Quæ genuit natura Deũ: iubet arma capeſſas
Rebus in anguſtis, ſubitã allatura ſalutem.
Illa animum, vireſq́; dabit: ſume horrida ſume
Pro penſis forti arma manu; clypeumque micantem
Neruoſis obnube humeris: Carloq́; potenti

(Sic ſuperis Mariæ quæ placet) ſuccurre: feroſq;
Iam non fœmineo mucrone repelle Britannos. &c.

Valerandus Varanius Doctor Theologus Pariſienſis, præclara Ioannæ facinora carmine heroico libris quatuor cõplexus, quos & inſcripſit *de Geſtis Ioannæ Virginis egregiæ Bellatricis, & Anglorum expultricis*; in ijs bellicoſæ huius puellæ ortum, ſtudia, mores, vitam, mortem eleganter recenſet, ac principio ſtatim operis Angelum ſic loquentem inducit. 11.

Salue Barriceæ lux & noua gloria terræ:
Omnipotens rector (qui res alternat: & eſſe
Diuerſos iubet influxus, vt triſtia lætis,
Lætaq; ſuccedant lugubribus) æthere sũmo
Me labi voluit: qui talia voce referrem.
Gallia iãdudum luctu intabeſcit amaro:
Aſtra onerat votis, & thure fatigat aceras:
Poſsit vt hoc tãdẽ bellorũ faſce leuari.
Audijt orantem ſummi clementia patris: Declaratur Caroli VII. aduerſa fortuna.
Direpti miſeret regni, Carliq; iacentis.
Perſeqtur: puerũ (quãq; natura reclamat)

Anglorũ exitiale odiũ: profugoq; supersunt
Vix laceræ sedes angustaq; portio regni.
Militat aduersis dudũ Normania signis:
Nobilis & priscos q̃ nominat insula Frãcos.
Adde & Aquitanã, gentẽ Phœboq; cadenti
Expositas vrbes: vicinaq; nereos arua:
Apud Biturigés Carolus educatur.
Cætera pene in idem genus inclinata ruinæ
In prædã veniũt hosti, & pscribitur hæres:
Quẽ Losci Aruerniq; fouent, ægrèq; tuẽtur.
O fœlix Virgo & fœlicibus edita fatis:
Quæ post tot clades & belli fulmina, pacem
Restitues: tibi perpetuos sacrabit honores
Posteritas: diræ succede tyrannidis vltrix
Armipotẽs succede operi, te acclamat olym-
pus.
Ioannæ parentes nobiles facti sunt ante ignobiles.
Quin genus oẽ tuũ numero cẽsebitur olim
Nobilium, tu prima feres insignia clari
Stẽmatis, & delebis on⁹ seruile parẽtũ. &c.

III. Sed & Ioannis Salmonij Macrini in Valerandi Varanij puellam peruenustum est hoc hendecasyllabum.

I fausto omine dexteroq; cælo,
I Francos sacra Virgo per Penates
Vrbatim simul & domesticatim.

Nemo non cupiet tuam videre
Firmatam Latio ore ſanctitatem.
Nemo non cupiet tuas videre,
Mamillas tenere ſororientes
Loricæ aßiduo labore feſſas.
Nemo non cupiet tuum videre
Crinem incompoſitum comatulumq́,
Errabundum humeris decenter ipſis,
Preſſum caßide, Martijſq́ criſtis.
Nemo non cupiet tuos videre
Vrgentes celerem pedes caballum:
Munitos ocreis laborioſis,
Thibialibus inſitos malignis,
Ægrè vel Phrygio Hectori ferendis.
Seu tu fulmineum rotabis enſem:
Seu telum validis ages lacertis:
Vel ſternacis equi ferocitatem
Coges in medium potenter hoſtem
Thermodontiacæ propagis inſtar:
Applaudet ſtrepitu tibi ſonoro
Preſſo & pollice geſta proſequetur
Galli concio copioſa circi:
Et quicunq́ odio caret ſiniſtro.
I fauſto omine dexteroq́ cælo,

I Francos ſacra Virgo per penates
Urbatim ſimul & domeſticatim.
Te Varanius ille litteratus
Romanæ iubar & decus camenæ:
Actææ decus & iubar Mineruæ
Abſtruſam latebris tenebricoſis
Sepultam tenebris latebricoſis
In lucem retulit ſereniorem.
Et peplis Latialibus venuſtans,
Veſtiuit tunica Maroniana:
Ut quocunq; feras pedem videri
Poßis ſplendidior decoriorq;:
Oſores metuens nihil procaces
Dentatos nihil atq; virulentos
Arcendos ſcutica triumuirali.
I fauſto omine dexteroq; cælo,
I Francos ſacra Virgo per penates
Vrbatim ſimul & domeſticatim.

IV. Præclarum autem illud, & iuſta in obtrectatores noſtræ Virginis indignatione ardens, tetraſtichon illud viri ornatiſſimi, ſtudioſique meritorum eius defenſoris, Stephani Paſchaſij Iuriſconſulti Pariſienſis ac in ſupremo Galliarum Senatu Pa-

troni in libro ſexto Epigrammatum; epigrammate de Iana quam vulgò virginem Aureliam vocant.

Jana vocor, genabo numẽ, medea Britãnis,
His meretrix, alijs fabula cauta Numæ:
Viua ego quæ laceri ſtabiliui mœnia regni,
Hei mihi, ꝑ meritis mortua nũc laceror.

Claudam hanc teſtium, ſiue aſtrictâ, ſiue ſolutâ oratione, numeroſitatem, parte Epiſtolæ clariſſimi illorum temporum ſcriptoris, in qua tametſi Ioannæ nomen non commemorat, res tamen ab ea geſtas diuino numini adſcribit. Is eſt Philelphus Eques auratus & Poëta laureatus qui tempore Ioannæ viuebat, Caroloq; ipſi VII. in epiſtola vltima libri octaui epiſtolarum diuini numinis ſalutarem manum gratulans, monenſque de diuino beneficio religiosè agnoſcendo, ſic eum ſoluta oratione compellat. *Dolendum profectò erat bonis omnibus (Rex Carole) quod Chriſtianiſſimum genus hominum te Rege pientiſſimo tamdiu, tam grauiter, tanta malorum mole premeretur. At ego cum* v.

meipſum colligo: & mente diligentius rem voluto: facile videor intelligere id omne diuino quodam conſilio factum eſſe. Oſtendere Deus voluit (vt opinor) nullam eſſe humanam potentiam, quæ proprijs conſilijs atq; adminiculis, aut perpetua eſſe poßit aut diuturna, ſi diuino præſidio careat. Quamobrem idcirco paululum veluti à Francis ſecedere viſus eſt, quo & per fidelißimi populi flagella, infidelibus cunctis minitaretur interitum: & cum te Francis venerabiliorem, tum vniuerſis tuis ſuis hoſtibus formidabiliorem efficeret. Tua certè pietate & diuina quadam ope & auxilio factum eſt: vt eos omnes qui perinde atq; ſtulti & amentes à te defecerant, ad ſanitatem tua cum gloria videas rediiſſe, Deo ipſo Duce, Imperatore vexillifero, non modò patritum atq; auitum regnum cum immortalitatis nomine recuperaſti: ſed lõgè id admodum amplificaſti, ſtabiliſti, ornaſti. Nam ſi magna res eſt ferociſsimos Anglorum impetus ſuſtinere, quanto maior cenſeri debet Anglos ſuperare, proſternere.

nere, interimere; Has autem tales tantasq́; victorias in rebus præsertim desperatis & perditis existimare debes neq́; tuis, neq́; vllis humanis opibus te adeptum; sed diuina potius quadam mente; quæ Christianæ suæq́; Reip. diuturna ægrotatione morboq́; confectæ; tuo fœlicissimo ductu, tuis secundissimis auspicijs iam tandem succurrere mederique constituit. Et circa finem eiusdem epistolæ sic eidem Carolo scribit idem Philelphus. *Vt reliquis Christianis Principibus ac Regibus dignitate præstas, ita tibi omni ope atq́; opera studendum est, vt absolutissima virtute his omnibus, & vera gloria sis superior. Vicisti Anglos, recuperasti patriam &c. Et pulchrum id certè fuit & laudabile. Iustitiæ enim munus in teipsum tuosq́; contulisti. &c.*

Plura huius historiæ firmamenta ac testimonia, si quis requirat, cõsulat, censeo,

Librum Ioannæ Puellæ historiam cõtinentem in cœnobio S. Victoris Paris. A quamplurimis fit honorifica Ioãnæ mẽtio.
Alanum aurigam in historia Caroli VII.
Nicolaum Ægidium ibidem.

Papirium Maſſonum ibidem.
Belleforeſtium ibidē. & in Coſmograph.
Du Haillan ibidem. & lib. 2. ſtatus negotiorum Galliæ.
De Serres ibidem.
Wasbourg in annalibus Galliæ Belgicæ.
Bouchet in annalibus Aquitaniæ.
Hiſtoriam nouem Carolorum.
Benedictum Curium in hiſtoria Mediolanenſi.
Ioānem de Eſpinoſa lib. de laudibus mulierum.
Hartmannum Schedel Doctorem in regiſtro libri Chronicorum.
Tomum primū theatri vitæ humanæ in tit de fortitudine mulierum.
Georgium Caſtellanum in vita Philippi Boni Burgundiæ Ducis.
Regiſtrum annorum præteritorum.
Enguerranum de Monſtrel. in 2. volumine chronicorum.
Mare hiſtoriarum.
Mirabiles victorias fęminarū orbis noui.
Thomā Boſſ. lib. 8. de notis Eccleſ. & in

cap.8. libri de robore bellico aduersus Macchiauellum.

Micquellum in obsidione ciuitatis Aurelianensis.

Legend. Flandrorum.

Andream Eborēsem Lusitanum in 2. tomo dictorum & factorum memorabilium tit. de fortitud.

Guillelmum du Bellay in cap. 9. libri 2. disciplinæ militaris.

Glossam pragmaticæ sanct. in principio procemij in verb. gratia.

Paponium in principio 3. tomi notarior.

Renatum Chopinum lib. 1. de Iurisd. Andeg. cap. 76.

Librum factorum memorabilium.

Ægidiũ Corrozetũ lib. dictorũ memorab.

Rauisiũ Textorem in primo tomo officinæ dũ de mulieribus bellicosis & masculæ virtutis differit.

Historiarum electionem.

Richardum Dynothũ lib. de rebus & factis memorabilibus.

F. Petrum Crespet Cælestinum in secũdo

tomo horti recreationis ſpiritualis in tractatu excellentiæ virginitatis.
Gaillard. in ſūmario temporū, & in methodo leg. hiſt.
Lib. puellæ Aurelianenſis reſtitutæ per Beroaldum Veruillanum.
Hiſtoriam tragicam eiuſdem puellæ.
Hiſtoriam obſidionis Aurelianenſis.
Ioannæ Darciæ obſidionis Aurelianæ liberatricis res geſtas, imaginem & iudicium.
Stephanum Paſchaſ. in epiſtolis. & cap. 8. lib. V. diſquiſ. Gall.
P. Matthæum in additionibus ad 84. deciſ. Guidonis Pap.
Theuetum de viris illuſtribus nempe in cap. 25. lib. quarti.
L. Triputium Conſ. Reg. Aurel. in ſyluula antiquitatum Aurelianarum.
Guillelmū Paradinū in annalib Burgūd.
Ludouicum Gollut ibidem.
Philippum Camerarium I.C. Norimbergenſem Conſiliarium in cap. XI. libri ſecundi meditationum hiſtoricarum.

Ioannem de Marconuille lib. de bonitate & malitia fœminarum.
Librum Hiſpanicũ inſcriptum La Donzella Franceſa.
Antonium du Verdier in tomo 3. & libro 8. proſopographiæ
Triumphum nobilium fœminarum. &c.
Iacobum Corbinum libro inſcripto Calcar militum.
Ioannem Sauaronium Conſiliariũ regiũ in tractatu enſis Gallici.
Ioannẽ Philippũ Varinum lib. ſacr. thron. regal. Reg. Franc. in vita Caroli VII.
Plures alios quos argumenti iſtius nobilitas non eſt paſſa rem ſilentio obruere: ego non ingrato ſilentio ſed neceſſaria breuitate hîc prætereo.

COnſtituta hiſtoriæ fide, venio nunc ad alteram laboris mei partem, vt damnatæ iniquo iudicio fortiſſimę Virginis præclara innocentia, re & teſtibus, perſpicuè demonſtretur. *Apologia pro Ioanna puella.*

Crimina in eam intenta.

Quatuor in eam intenta ſunt crimina, virilis habitus, magia, hæreſis, ſimulata virginitas; vanæ omnes & frigidæ criminationes; ſed facis illius quæ funerali eius rogo veros ignes ſubiecit, id eſt, inuidiæ ac maleuolentiæ, ſpecioſa apud homines integumenta. Et verò vt vetere & imperatorio verbo vtar, *Ecquis innocens eſſe poterit, ſi accuſare ſufficiet?* Quanquã mendaciorum vanitas ſic aperta eſt interdum, vt neque ijs probabilia ſint qui ea valere velint maximè. Itaque neque Ioannæ inimici, calumniam de magia, hæreſi, pudore prodito, probare vnquam; credo, neque ex animi ſui ſententia, ſed ad odij ſui duntaxat defenſionem aliquam, in iudicio vrgere potuerunt. De veſte virili, quã ad bellum proficiſcens ſibi induere ſolita eſt, deponere autem recepto muliebri habitu (ſic enim accepimus) cum belli vſus non erat, inſtitêre quidem ampliùs, & religionem mouere ſtuduerunt. Sed cauſas Ioanna eas dixit ab religione & caſtimonia, quibus reſiſtere ipſi meritò non poſ-

ſent. Defenſa eſt etiã ijs Theologorum ac præſulũ literis & decretis, ijs prodigijs euẽtiſq; cœleſtibus, quæ omnẽ animi dubitationẽ facilè eximũt. Purgabo ſingula crimina certis temporum illorum monumentis iudicijſque, cum rem ſummatim omnẽ Meyeri Belgæ hiſtorici verbis repræſentauero, eo iuſtius quod acerbiore alioquin in Gallos animo, veritatis quam adulandi Anglis amantior, innocentem eam morti ab ijs addictam confitetur. Sũt autem eius hæc verba.

Anno Domini 1431, tertio Cal. Iunias pridie feriarum ſanctiſsimi Corporis Chriſti Rothomagi in veteri foro rerum venalium cremata igni eſt Ioanna puella, ob nullam quidem iuſtam cauſam, ſed per odium ſolum Anglorum. Auſus eſt Petrus Cochon Anglus genere, Bellouacorũ Epiſcopus in gratiam Bethfordij Rectoris Galliæ innocentem virginem morti adiudicare. Quid enim non deſignant tales Epiſcopi, ſeu vmbræ potius Epiſcoporum? Eccleſia Rothomagenſis Epiſcopo tunc carebat. Pu-

Ioanna Puella immeritò ab Anglis cõburitur

Petrus Cochon epiſcopus iniqui iudicij Præſes.

ellæ nec aduocatum nec Patronum sua in causa habere licebat. Simplicem ac illiteratam Virginem multis Episcopus eiusq; collegæ interrogationibus de fide Catholica fatigabant, vti illaquearent ac circumuenirent illam aliquo in lapsu, sed frustra hæc omnia. Respondet enim sapienter valde, & Catholicè. Et quanquam famam spargerent magam esse & maleficam, nihil tamen tale poterant in illa deprehendere. Sed illud in crimen vocabant quod virili vteretur veste: quod tamen facilè purgauit, nec vsa est eo amictu nisi solū in rebus bellicis quemadmodum diuinitus dicebat sibi præceptū. Habebat sibi assessores ille Episcopus Ægidium Abbam Ficicampi Theologum, Nicolaum Abbam Gemeticensem Iureconsultum, Petrum Priorem Longæuillæ & alios complures: quorum nemo ne hiscere quidem ausus est contra Anglorum volūtatem. At inquisitor fidei per Franciam frater Ioannes cognomento magistri, scrupulo conscientiæ prohibitus, sapienter ab horum consessu abstinuit. Bethfordius autē

Sūmaria Ioannæ defensio.

Ioannæ simplex prudētia.

vt

vt Philippum Burgundiæ Ducem placaret, hæc ad eum scripsit mẽdacia. Ioannam neminem super terram voluisse agnoscere præter solum Deum & Sanctos paradisi. Reiecisse statuta Papæ, & iudicia conciliaq; Ecclesiæ, cumq; videret se morituram, cõfessam esse spiritus illos qui sæpè illi apparuerãt, mendaces & falsos esse. Per eos spiritus se esse deceptam qui polliciti erant eam liberare. Est qui refert proditam ab ipsis Gallis propterea quod quicquid illi gloriosè gererent, fœminæ adscriberetur. Sic periÿt vindex Galliarum. Nobiliter olim Porsena Rex qui Chlœliam virginem Romanam obsidum liberatricem non interfecit, sed muneribus donatam domum remisit: laudata virtute eius ac pietate in patriam. Cineres crematæ virginis sparserũt in flumen: nec vnquã ea ex die victoriam aliquam insignem retulerunt ex Gallis. Causa proditionis Ioannæ
Hæc Meyerus.

Re sic commodè informata, pedem iam pressius cum aduersarijs cõferamus, sigillatim ab ijs obiecta crimina diluam⁹. Refutatæ singulæ criminationes.

Magiæ atque hæresis.

Magam atque hæreticam appellarunt, sanè vt vltricibus flammis digna ipsorum iudicio videretur. At quæ in eius vita horum suspicio? quod subsidio Galliæ missam se diuinitus dicebat, quod supra puellæ vires, supraq; muliebres animos imò supra viros multa gerebat: quod arma tractare, bellare virili habitu, iussam se à Deo confirmabat? Quodnam hîc hæresis aut magiæ vestigium? Nempe, inquiunt, mãdata ista, aut à se conficta, aut à dæmone profecta, Deo adscribebat: Deum cuius est ea lex Deuteronomij 22. *Mulier non induetur veste virili*, mẽtiebatur virilem vestẽ sibi mulieri virgini imperasse. Deus bone! hæccine ingentia illa crimina propter quæ illi pereundum fuit? Certè hæc ipsa sunt quæ historia testis antiquitatis renũciat ab eius inimicis dissipata in vulgus fuisse, quò in hæresis, magiæ, aut sortilegij suspicionem eam vocarent. Ac de veste quidem virili seorsim paulò post à nobis dicetur: libet antea de eius missione (quoniam id rei caput est) rebusque

ſupra humanum morem ab ea geſtis reſpondere.

Prædicabat Ioanna ſe Carolo ſeptimo, cuius in Gallia per externum hoſtem, iniquiſſimo loco res erant, diuinitus ſubſidio miſſam: Negarunt ij, qui tum aut Carolo inimici noluerunt de ea iſtud credere, ne de ſe credere cogerentur, diuinitus ſe regno Galliæ exturbari: aut de Ioanne ipſius gloria non potuerunt, ignoratione aut maleuolentia impediti, tam magnificè cogitare. Vtra verior oratio eſt? Illiuſne quæ eius qui ſecũ loquebatur ſenſum habere & ſcientiam potuit, an eorũ qui animi ſui coniecturis & perturbationibus obſecuti, ſeipſos alieni facti iudices ſtatuerunt? Quãto incorruptius ij qui rem veſtigijs indagantes, ex integerrimis puellæ moribus, ex eius ſtudijs, ex caſtimonia, quam & ſeruabat ipſa, & alijs ſuo aſpectu aſpirabat; ex conſiliorum eius felicitate ac prudentia, ex præſenſione rerum futurarum, ex alienarum cogitationum perſpicientia, ex miraculis, ex iudicijs prudẽ-

tum, ex publico Galliæ sensu, ex diuino hostium terrore, ex rerum euentu, alijsq; id genus indicijs diuinum hîc quidpiam agnouerunt?

Gerson quidem, sapiétissimus illa ætate grauissimusque almæ Vniuersitatis Parisiensis Doctor & Cancellarius, Christianæ huius Amazonis coætaneus, quique Confessario Caroli VII. Francorum Regis tractatum inscripsit de consideratio-nibus quas debet habere Princeps, in defensione huius virginis, tractatu cui titulus est, *De mirabili victoria cuiusdam puellæ, de post fœtantes receptæ in Ducem belli exercitus Regis Francorum contra Anglicos*, multa in rem præfatus, ita statuit: *Concludendum est tandem ex præmißis, quod piè & salubriter potest de pietate fidei & deuotionis sustineri factum illius puellæ.*

Benè habet, quòd iudicium tenemus tanti viri. At cedo quæ sic iudicandi causæ illi fuerint. Principiò, rei totius iustissimus finis, eiusdemque fœlicissimus euentus.

Sustineri, inquit, *factum id potest circunstantijs attentis cum effectu patenti præsertim ex causa finali quæ iustißima est, scilicet restitutio Regis ad regnum suum, & pertinacißimorum inimicorum suorum iustißima repulsio seu debellatio.* Deinde, in suscipiendis gerendisque rebus integritas: *Addito*, inquit, *quod in obseruationibus suis hæc puella non reperitur vti sortilegijs, ab Ecclesia prohibitis, neq; superstitionibus palam reprobatis, neq; cautelis hominum fraudulentis, neq; ad quæstum proprium vel aliquid tale subdolum, cum in attestationem suæ fidei exponat extremo periculo suum corpus.* Hæccine igitur aut maga aut hæretica? Nec ignarus quã multi multa de hac integerrima virgine peiorem in partẽ spargerent, *Si multi*, inquit, *multa loquantur & referant pro garrulitate sua & leuitate aut dolositate, aut alio sinistro fauore vel odio, subuenit illud Catonis,*

Arbitrij non est nostri quid quisq; loquatur.

Re ſic ex cauſis euentiſque bellè conſtituta, iterum eam ex circunſtantijs diſceptat magnis certè diuinæ miſſionis argumentis. Earum prima eſt, quòd Regi Galliæ, Ducibuſque eius ac Principibus perſuadere potuit, vt ſe belli Ducem, viri fœminam, principes paſtoritiam puellam ſequerētur, præſertim formidoloſiſſimo Galliæ tēpore cui niſi diligentiſſimè prouideretur de re Gallica actum videri potuit. *Iungantur*, inquit, *ad cauſam noſtrā iſtæ circunſtantiæ; Vna quòd conſilium Regis & gentes armorum potuerunt induci ad vocem illius puellæ taliter credere & obſequi quòd ſub ea vel cum ea expoſuerint ſe conſpirato animo ad bellica pericula, dedecore omni procul pulſo, quod euenire poterat ſi ſub vna muliercula militantes victi fuiſſent per hoſtes procaciſſimos & irriſi apud omnes qui audiſſent.*

Altera eſt popularis exultatio quocunque puella aduentaſſet. *Altera*, inquit, *quod exultatio popularis, cum pia credulitate, tanta ſubſequi cernitur ad laudem*

Dei & hoſtium confuſionem.

Tertia, terror eius aduentu, hoſtium animis ſeſe inſinuans, Deo nimirum, qui animis præſidet, intus terrefaciente. *Tertiò*, inquit, *quod latentes inimici etiam magni, referuntur in timores varios imò & in languores quaſi parturientis cecidiſſe, iuxta imprecationem cantici illius à Maria ſorore Moyſis tympanizati in choro ludentium; Cantemus Domino gloriosè, &c. irruat ſuper eos formido & pauor.*

Quarta circũſtantia, prudentia temeritatis expers, *Ponderandum eſt*, inquit, *quod hæc Puella & adhærentes ſibi militares non dimittunt vias humanæ prudentiæ, faciendo quod in ſe eſt, quod appareat* (nempe cum id non fit) *tentari Deus vltra quàm neceſſe eſt.*

Quinta, Puellæ modeſta ſapiẽtia, non ſuperba, & pertinax; *Conſtat*, inquit, *hãc Puellam non eſſe pertinacem in adhæſione proprij capitis, vltra quàm à Deo habere ſe monitiones ſeu inſtinctus.*

Sexta, certa explorataque eius à teneris

probitas. *Possent*, ait, *superaddi multæ circumstantiæ de vita eius à puero, quæ interrogatæ sunt & cognitæ diu & multum & permultos, de quibus hîc nihil inseritur.*

Septima, exempla antiquitatis. *Exempla*, inquit, *possunt induci de sancta Barbara & de Diua Catharina in conuersione non minus miraculosa Rhetorum, & alijs multis, vt de Iudith & de Iuda* (Macchabæo) *in quibus, vt communiter, miscetur semper aliquid naturale.*

At enim, si missa erat diuinitus, cur nõ prospere semper cum ea est actum, quî factũ est vt in potestatem veniret hostiũ à quibus capta, damnata, tandem exusta est? Scribebat Gerson antequam re ipsa hæc euenissent; vidit tamen vir in rebus humanis earumque à Deo cõuersione exercitatus, posse re ipsa eiusmodi aliquid euenire, quod ne hominum animos, cũ euenisset, de istius Puellæ diuina electione, missioneq; malè dubios faceret, hac oratione anteuertit. *Neq; sequitur*, inquit, *sẽper post primum miraculum quidquid ab*

hominibus

hominibus expectatur vel expectabi ur. Præterea si frustraretur ab omni expectatione sua & nostra (quod absit) prædicta Puella, non oportebit concludere, ea quæ facta sunt, à maligno spiritu vel non à Deo facta esse; sed vel propter nostram ingratitudinem vel blasphemias, aut aliunde iusto Dei iudicio licet occulto, posset contingere frustratio expectationis nostræ in ira Dei, quam auertat à nobis & benè omnia vertat. Et quidem, an ideo Iudas Machabæus, diuinitus ad suæ gentis salutem excitatus non est, quia hostium manu dolisque in acie occubuit? aut quia Samsonem eadem quæ Philistæos ruina obruit, minus ideo Christi morientis figura; minus ipse Deo carus fuerit? Sæpè magnis viris violenta inter hostes gloriosior mors fuit, quàm domi dulcis fuisset, inter, hinc parentes, hinc liberos. Sed & magni paruique multa humanitus omnes peccamus, quæ honestè suscepta mors illa expiat. Certè, genus id mortis, vita martyrum est. Rectè denique Gerson, *A Domino factum est*

iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Pſal. CXVII.

Coniũgam Gerſoni ſcriptori illius ſeculi, ſcriptorem eiuſdem ætatis alterum. Is eſt Magiſter Henricus de Gorckeim, ex quo rerum iſtarum perhonorifica narratio ante poſita eſt, in qua præfatus puellam iſtam aſſeruiſſe ſe à Deo miſſam, ſubiungit. *Ne autem ipſius aſſertio putetur temeraria etiam ſignis ſupernaturalibus vtitur, ſicuti reuelare occulta cordium, & futura contingentia præuidere.* Etiam illa addit, *Cum in equo eſſet, militare vexillum præferens,* (Nos autem ex hiſtoria didicimus vexillum illud Chriſti effigie impreſſum, Ieſu & Mariæ nominibus inſcriptũ fuiſſe) *tunc ipſam quidem mirifica armorum ſcientia viguiſſe, eius verò copias militari alacritate compleri ſolitas, hoſtes timore diſſolui: vixiſſe autem à teneris caſtè ac piè.* Hæccine verò ſunt magiæ indicia?

Atenim, cur militari tempore atque habitu maiore erat vi ac ſcientia? Reſpõdebo eius verbis in collatiuo opere de

hac puella militari, quod Gersoni ab aliquibus ascriptum Gersoniano superiori tractatui proximè anteit. In eo, propositione sexta, *Nec mirum*, inquit, *si in statu equestri sit alterius luminis, quàm in solito statu muliebri, quia etiã Dauid volẽs Dominũ cõsulere, induebat Ephod, & sumpsit psalteriũ, & Moyses dum virgã gestabat, mirabilia faciebat, quia (sicut dicit Gregorius) Spiritus sanctus frequenter se interius conformat exterioribus concurrentibus*. Idem ipse propositione quinta eiusdem operis. *Ad nutum*, inquit, *habet hæc puella vsum donorum supernaturalium in manifestando occulta, & prænunciando futura, suo ministerio deseruientia, prohibendo insuper fieri occisiones & cætera vitia, exhortando ad virtutes & cætera probitatis opera, in quibus Deus glorificatur. Sicut ergo in spiritu Dei præmissus est Ioseph ante patrem, & fratres in Ægyptũ, & Moyses ad populi Israël liberationem, & Gedeon, &c. Pari modo hanc iuuenculam non est incongruum connumerari bo-*

nis specialiter à Deo missis, præsertim cum nec munera quærat & ad bonum pacis tota deuotione laboret: hoc enim non est opus mali spiritus qui potius est author dissensionis quàm pacis. Et propositione quarta; *Sacris consonat literis per fragilem sexum, & innocentem ætatem exhibitam à Deo fuisse populis & regnis lætam salutem. Hæc propositio patet, quia teste Apostolo Deus eligit infirma mundi vt fortia quæq; confundat. Hinc exemplariter procedendo legitur de Delbora, Hester, & Iudith, impetratam fuisse populo Dei salutem, & Danielem in pueritia suscitatum ad liberationem Susannæ. Sic Dauid in iuuentute Goliam prostrauit. Nec immeritò quia hoc modo fit euidentior diuinæ pietatis affluentia, ne homo suis viribus adscribat sed Deo potius gratiarum actiones referat. Sic enim per humilem virginem totius generis humani redẽptio orta est. Igitur &c.*

Atenim liberabo etiam eam criminibus magiæ & hęreseos, verbis ijsdem quibus apud Męyerum cõtemporanęus vir-

gini Anonymus latinus scriptor eam libe-rat. Est verò illius hæc oratio. *Compendiũ ab Anglis obsidetur, Puella eruptionem facit, & capitur, ducta Rothomagum vbi tunc erat Rex Henricus adolescens. Petrus Cauchon Bellouacorum tunc erat Episcopus Consiliarius præcipuus Regis Angliæ. In eius diœcesi quoniam capta puella erat, conuenit vt ipse inquisitionem faceret de Puella quam maleficam esse per inuidiam insimulabant & hæreticam. Quæstio habita à multis Theologis & Iureconsultis Lutetia euocatis: per multos dies interrogationes & responsa ab tabellionibus diligenter conscripta. Admirationi omnibus erat, quod puella rusticana de fidei rebus tam sapienter, tamq; Catholicè loquebatur, & respondebat. Hoc autem inquisitores (qui Anglicæ erant omnes factionis) curabāt, vt callidis, versutis, & fucatis verbis, & in quisitionibus & interrogationibus captiosis, sanctam Christi virginem caperēt, & de hæresi accusarent: sed non potuerunt. Data sunt illi à Domino verba quæ loque-* Anonymus de Ioanna virgine.

retur, nec ſpiritui eius qui loquebatur potuerunt reſiſtere.

Proditi pudoris calumnia diluta.

Commodè autem idem proditi pudoris calumniam diluit his verbis. *Inſuper Angli per obſtetrices ſuæ etiam factionis inſpici curabant virginem. Nec mulieres illæ quamuis maximè cuperent, ac virgini grauiſsimæ hoſtes eſſent, aliud potuêre affirmare quàm quod intemerata clauſtra virginalia ſeruata in illa reperirent. Dicitur enim ſuam integritatem Deo vouiſſe, cum adhuc patris ſui gregem in agris paſceret, quibus in agris adeò religioni erat addicta vt quoties ſonitum audiret campanæ de conſecratione Corporis Domini religioſiſsimè proſterneret ſe in terram, diu multumq; orans, laudans, ac benedicens Deum.* Hæc ille.

Meyero pudicitiam Ioannæ defendẽti aſtipulantur quamplurimi integræ fidei viri ſuperius adducti, è quorum numero minimè omittendus eſt Papirius Maſſonus qui lib. 4. annal. in Car. VII. refert *Ioannem Comitem Dunenſem* (qui

ſub Ioanna militauerat, vt teſtatur Theuetus in eius vita) *ſuper eius pudicitia iubente Calixto Pontifice interrogatum reſpondiſſe, nullum à quoquam niſi caſtæ & pudicæ modeſtæq; virginis ſignum in ea deprehenſum: idemq; affirmaſſe alios magno numero productos teſtes idoneos & omni exceptione maiores.* Nouiſſimè autem P. Ioannes Candela Soc. IESV, in cap. 2. diſcurſ. 13. de felicitate & bono ſtatus virg. aſſerit, *præfatam Ioannam virginem quã Amazonem Gallicam nominat, & magnoperè commendat, ideò à Deo ad reſtituendum Gallicum regnum fuiſſe electam, quod Virgo caſtiſſima eſſet.*

An verò illa libidine arderet, de qua Belleforeſtio teſte in Carolo VII. audiebantur commemorare Duces ac milites, eos qui cum illa verſarentur, quiue oculos in eam intendiſſent, non ſolùm nullo tãgi libidinis ſenſu, ſed veneratione quadam compleri ſolitos, quaſi in ea quiddã homine auguſtius cernerent.

Mirabilis Ioannæ caſtitas eiuſque corporis integritas

Hoc & de eadem ad ipſius corporis in-

tegritatem probandam ab eodem Belleforestio asseritur, eam communi mulierum morbo obnoxiã minimè fuisse, sed prorsus ab eo liberam.

Vlrilis habitus excusatio.

Vera mortis puellæ causa, hostilis inuidia.

De virili habitu mox dicã. Nunc anonymi illius apud Meyerum breui oratione respondebo. *Virilem*, inquit, *habitum excusauit, ne scilicet militum incontinentia prouocari in illã posset, si fœmineo vsa fuisset habitu.* Vnde igitur mors innocenti? ab odio atque inuidia. Synchronus quanquam anonymus. *Vna nihilominus omnium Anglorũ sententia erat, & vox vulgaris, nunquam se posse fœliciter cum Gallis dimicare aut victoriam reportare, quamdiu Puella illa, quam veneficam & sortilegam vocabant, viueret. Tollendam esse de terra. Hostes eius iudices erant. Pars eius aduersa qui eam accusarat, tulit sententiam. Squalore carceris & inedia eam macerabant. Ferunt eam tandem ab iudicibus adductam vt si vellet abiurare reuelationes quas asserebat sibi factas, eam absoluerent, & abire permitterent; quod fecisse*

ciſſe eam tradunt: ſed cum tamen non dimitteretur, valde increpitam fuiſſe ſe dixiſſe, quod reuelationes abnegaſſet; Iterum ſibi in carcere apparuiſſe ſcilicet Diuas Agnetem, Margaritam & Catharinã, ab illiſque quod hoc feciſſet obiurgatam. Hæc fuit cauſa mortis Dicebant hoſtes eius qui iudices erant, relapſam eſſe in abiuratã hæreſim, adduxerant enim eam vt iuraret ſe vltra non dicturam ſibi reuelationes factas eſſe. Data brachio ſeculari Rothomagi combuſta Collecti cineres vniuerſi & de ponte in Sequanam demerſi, ne quid fortè reliquiarum ſeruari aut coli poßit.

Reuelationes Ioannæ ſanctæ.

At dicet aliquis, Virum veſte mentita eſt, virili veſte mulier in caſtris verſata eſt, virilem veſtem Deo mulieri prohibente. Hoc igitur illud crimen eſt quod morte eſt in eam vindicatum? Atqui nemo in hiſtoria ſcribenda tam fuit impudens, qui ſexum eam mentitam eſſe diceret: ſemper virginem puellã, ſemper fœminam præ ſe tulit: viro ſimilis cum ad fortia virorum facta in aciem pugnamue deſcen-

Ioanna virili veſte non vi ũ mentita ſed Deo obſequuta.

deret, reuersa ad muliebrem cultum, vbi militari opera opus non fuit.

At in bello saltem violata fuerit ab ea diuina lex. Enimuero vnde id potest esse consequens? Capessit arma solo Dei iussu, cui ad arma, virorum instar, vocare eam placuit, ab eodem summo imperatore Deo, ad viri interim speciem vestemque vocata est. Sic enim à Deo sibi præscriptũ sanctè testata est; sic Historici nobis ab ea acceptum tradiderunt.

Nouo more gestum id ab ea imperatumque est à Deo fateor; at repugnante Dei lege factum inficior. Nam de vetere ac Mosaica lege quod adducitur, id non effic t, vt si quando Deus, si qua temporis periculiue vitandi necessitas, si qua aliquid gerẽdi necessaria atque honesta lex, huiusmodi mutationem vestis imperet, mutari honestè non possit. Turpitudini lex illa atque impietati resistit, non religioni & honestati.

Itaque grauis in Theologia Doctor Ioannes Gerso, Ioannæ hoc factum triplici,

vt vocat, veritate defendit.

Prima eſt, *Lex vetus, prohibens mulierem vti veſte virili, & virum veſte muliebri, pro quanto eſt purè iudicialis, non obligat in noua lege, quia ſecundum veritatem tenendam de neceßitate ſalutis iudicialia antiquæ legis ablata ſunt, nec obligant in noua, vt talia ſunt, niſi nouiter per ſuperiores ea inſtitui ſeu confirmari cõtingat.*

Secunda veritas, *Lex huiuſmodi continebat aliquod morale, quod ſtabile eſt in omni lege, & illud poſſumus exprimere prohibitionem indecentis habitus, tam in viro quàm in muliere contra medium virtutis, quod obſeruare debet circũſtantias omnes, vt quando oportet, cur oportet, qualiter oportet, & ita de reliquis vt ſapiens indicabit.*

Tertia veritas, *Lex huiuſmodi nec vt iudicialis nec vt moralis damnat vſum veſtis virilis & militaris in puella noſtra virili & militari, quam ex certis ſignis elegit Rex cœleſtis omnium, tanquam vexilliferam ad conterendos hoſtes iuſtitiæ, & ami-*

cos ſubleuandos, vt in manu fœminæ puellaris & virginis confundat fortia iniquitatis arma auxiliantibus Angelis, quibus virginitas amica eſt & cognata ſecũdum Hieronymum, & in ſacris hiſtorijs frequẽter apparuit, ſicut in Cæcilia viſibiliter cũ coronis ex roſis & lilijs. Rurſus per hoc ſaluatur attonſio crinium, quam Apoſtolus prohibere videtur in fœmina.

Obſtruatur ergo & ceſſet os loquentium iniqua, quia vbi diuina virtus operatur, media ſecundum finis exigentiam diſponuntur, ita vt iam non ſit ſecurum detrahere, vel culpare auſu temerario; ea quæ à Deo ſunt, ſecundum Apoſtolum ordinata ſunt. Deniq; poſſent particularitates addi multæ, & exẽpla de hiſtorijs ſacris & gentilium ſicut de Camilla & Amazonibus. Sicut præterea in caſibus vel neceſſitatis vel euidentis vtilitatis, vel approbatæ conſuetudinis, vel ex authoritate ſeu diſpenſatione ſuperiorum. Sed iſta pro breuitate ſufficiant & veritate. Tantummodo caueat pars habens iuſtam cauſam, ne per in-

credulitatem, & ingratitudinem, vel alias iniustitias faciat irritum diuinum tam patenter & mirabiliter auxilium inchoatum, prout in Moyse & filijs Israel post collata diuinitus tot promissa legimus contigisse. Deus enim etsi non consilium, sententiam tamen mutat pro mutatione meritorum. Hæc Gerso.

Pereruditè autem Lyranus ad illud capitis 22. Deuteron. *Mulier non induetur veste virili, &c. Hoc*, inquit, *exponunt Doctores aliqui, & benè, vt credo, quòd hoc intelligitur de armis quibus viri vtuntur*; (id verò ille ex Hebraica lectione cōprobat) *Prohibetur autem in dicto cap. quod mulier non portet arma viri, tum quia indecens mulieri & præsumptuosum: tum quod pro tunc erat superstitiosum, quia gentiles mulieres in sacris Martis, portabant arma viri: & in sacris Veneris, viri portabant ornamenta mulierum & instrumenta earum, vtpote colum, fusum, & similia: ideo subditur abominabilis est apud Deum qui hoc fecit. Abominatio*

enim in sacra scriptura communiter capitur pro idololatria, seu pro aliquo ad idololatriam pertinente. Si autem prædicta litera intelligatur de veste communi, prohibetur, hic talis vsus, vel potius abusus, quia est occasio libidinis, quia mulier in veste virili posset licentius cum hominibus luxuriam exercere: & similiter vir in veste mulieris, quia liberius posset secreta mulierum ingredi. Hæc hactenus ipsissimis verbis Nicolaus de Lyra.

Paria Cardinalis Cusanus libro secundo exercitationum in sermone, Ibant Magi.

Nauarrus item enchiridij cap. 23. num. 12. *Nullatenus etiã peccare* ait, *fœminam quæ veste virili se vestit, nec virum qui fœminea, iusta de causa veluti ne ab inimicis agnoscatur, aut quia alia veste caret, vel ob honestam sui aut alterius oblectationem secundum S. Thomam, neq; plusquã venialiter si ob leuitatem hoc faciat absq; fine & circunstantia mortali, iuxta Caietanũ in 2. 2. q. 169. artic. 2. ad 3.*

Quibus rationibus & authoritatibus permotus Philippus Camerarius Iuriſcō-ſultus, & Reip. Noricæ à conſilijs, *Ioannam ob ſuſceptum habitum virilem iure excuſandam cenſet*, cap. *17*. libri quarti, tertij voluminis meditationum hiſtoricarū. Nec obeſt canon ſi qua mulier 6, 30. diſt. *Si qua mulier ſuo propoſito*, inquit, *vtile iudicās vt virili veſte vtatur, propter hoc virilem habitum imitetur, anathema ſit. Perſpicuum enim eſt propoſitum illud mulieris non pietatis eſſe propoſitum ſed luxuriæ.* Gloſſa in illo canone propoſitū ſuum ſcilicet mulieris explicat, *quia magis eſt habilis & magis parata in ſciſſa veſte quā in clauſa ad meretricandum*; Cum malus ergo eſt animus, veſtis mutatio mala eſt, non ipſa ſola mutatio, maximè ſi conſuetudo ſit, vt mulier certo habitu virili vti poſſit. Quemadmodū in cap. 2. de teſtam. refertur de Abbatiſſis quæ habentur pro monialibus quæ tamen non induerant habitum monachalē, ſed in veſtibus quibus vtebantur loci illius preſbyteri per-

manſerant. Quid, quòd Vlpianus Iuriſconſultus in l. veſtis 23. §. veſtimenta omnia ff. de aur. & arg. leg. conſtituit alia eſſe veſtimenta virilia, muliebria, puerilia, alia his communia quibus promiſcuè vtitur mulier cum viro; veluti ſi eiuſmodi penula palliumque eſt & reliqua huiuſmodi quibus ſine reprehenſione vel vir vel vxor, ſeu mulier vtatur. Reprehēſionem ibi definit ex vſu non recepto, quare vſus ipſe, vel honeſta vel inhoneſta facit veſtimenta.

Quod verò mulier ſine peccato virilē habitum deferre poſſit, neceſſitate aut rationabili cauſa inducta tenet etiam Beatus Thomas in ſumma 2. 2 q. 169. art. 2.

Plures virgines quā- tis virili veſtitu indutæ tamen laude digniſſimæ.

Neque verò Eccleſia ideò minus inter ſanctas & Deo acceptas, laudeque ac veneratione dignas habuit Theodorā Alexandrinam, quæ diu in monaſterio ſub monachi nomine & veſtitu latuit pœnitentiam agens, & Deo ſeruiēs, vt ait Marcus Marullus lib. V. de religioſè viuendi inſtitutione. Marinam virginem natione

Græcam

Græcam ſcribit Volateranus ſexum diſſimulaſſe honeſta de cauſa, vt admitteretur in cœnobium, quo ſoli viri recipiebãtur, vbi ad mortem vſque ſanctiſſimè vixit nomine Marini. Fecêre eadẽ Euphroſyna virgo Alexandrina, Pelagia Antiochena aliæque ſanctimoniæ laude commendatæ.

Deniq; vt iſtius puellæ acta inſtitutaq; à Deo illi præſcripta, Deo accepta fuiſſe credã, duo me pręterea magnoperè inducũt. miracula diuina, & diuina humanaq; in eius hoſtes atque iniquos iudices vltio. Ioannæ miracula inq; eius hoſtes diuina humanaque vltio.

Miracula: Nam vt taceam quod ipſa per ſe magnum & inſigne miraculũ fuit, duo præcipuè memorantur. Primum eſt, ſuſcitatus ipſius precibus puer mortuus. Valerandus Varanius ſub finem lib. quarti de geſtis Ioannæ virginis egregiæ bellatricis, & Anglorum expultricis meminit, his verſibus. Puer ſuſcitatus precibus Ioannæ

Cumq; Latiniaci prodiſſet matris ab aluo
Exanimis fœtus, multis comitata puellis
Virgo ſubit tẽplũ, & corã ꝓuoluitur aris,

Vt redeant gelidos vitæ spiracula in artus:
Vagit & ora mouet, baptismaq; suscipit infans.

Cor Ioannæ inuentum est in medijs cineribus integrum & plenum sanguine.

Alterum est cum iam cadauer puellæ depastus esset rogus, inuentum illius cor integrum atque illibatum. Cecinit hoc idem.

Postremò enituit pietas in morte puellæ:
In cinerē cunctos dū flāma resoluerat artus
Illæsas cor habet venas (mirabile dictu)
Nec synceri animi temerāt incēdia sedem.
Albaq; tum visa est orbi prodire columba,
Et petere æthereos multis spectātibus orbes.

Diuina humanaq; in hostes vltio. Primum, res Anglicæ ante puellæ mortem turbari cœptæ, post tam iniquam & crudelem necem, conspicuè in deterius labi sunt visæ: Burgundionem, qui maximè Anglis aderat, pœnituit rerum anteactarum, illoque Anglos deserente Lutetia Carolum Regem admisit: reliquæ ciuitates Parisiorum exemplū sunt secutæ, paucorumque annorum spatio Carolus represso, victo, expulsoque Anglo; res suas

è calamitoſis proſperas, è deſperatis certas, ex abiectis florentiſſimas vidit, vt refert Papirius Maſſonus lib. 4. annal. in Car. VII. Meyerus autem lib. 16. *Tãdem Galli,* inquit, *Rothomago potiti ſunt, victis extruſiſq; vbiq; Anglis, quibus omnia ceßère infeliciter, poſtquã virginem illam Ioannam, diuinitus miſſam tam fœdo ſupplicio necaſſent: nam & in Scotia bis eodem tempore fuère victi, &c.*

Cauſa infelicitatis Anglorũ.

Deinde reſciſſa eſt doctiſſimorum hominum reſponſis ſupremaque Eccleſiæ authoritate, iniqui in eam iudicij ſententia.

Martinus Delrio ſecundo tomo magicarum diſquiſitionum lib. quarto, cap. primo, quæſtione tertia, ſectione ſexta, propoſita regula ſeptima qua veræ reuelationes à falſis dignoſci queunt, nempe ſi ex omni parte, etiã vſque ad minimam propoſitionem ſint veræ, eueniantque omnia ita vt prædicuntur. *Hinc probantur,* inquit, *diuinæ fuiſſe reuelationes Ioannæ illius virginis Lotharingicæ quæ di-*

Diuinæ reuelationes Ioannæ factæ.

cta Gallis La pucelle Ieanne quæ Carolum VII. Francorum Regem in regnum vnde Anglorum fuerat armis deiectus restituit circiter annum millesimum quadringẽtesimum vigesimum octauum, quam pari inuidia, crudelitate, calumnia, & iniustitia, sæpè ab illa victi profligatiq; Angli cũ in pugna viuam cœpissent, flammis feralibus quasi maleficam combusserunt. Sed postmodum anno 1456. Calixtus Romanus Pontifex, aut iuxta alios Pius secundus causæ cognitionem Archiepiscopo Rhemensi Ioanni, & Guillelmo Parisiensi delegauit, his verò innumeris testibus omni exceptione maioribus de innocentia, modestia, castitate & religione Ioannæ auditis, eius innocentiam & sententiæ illius iniustitiam declararunt. Iudicij acta Parisiis asseruari ea in vrbe natus Papyrius Masson testatur; idq; apud Victorinos Canonicos regulares iuxta Belleforestum in vita Caroli VII. fauent eiusdem innocẽtiæ non Franci modò scriptores, quos vt suspectos Britanni reijciunt, sed & alienigenæ Itali,

Innocentia Ioãnæ & iniustitia sententiæ contra eam latæ declaratur à iudicib' S. A.

Græciq́; ſed & Belga Meyerus lib. 16. annal. Fland. parum aliâs in Francos benignus. Et Hiſpanus Mariana de reb⁹ Hiſp. lib. XX.

Denique qui eam iniquè traduxerant, damnauerantque, alij diuinitus turpi aut repentina morte affecti, alij etiam hominum ſententia probroſè & effoſſi & exuſti ſunt. Valerandus Varanius Theologus Pariſienſis.

Nec ſuperi voluêre ignes impune relictos.
Medeius ſiquidem longo ſermone profatus Medeius punitur.
Aſtruit eſſe ſcelus flãmis & morte piãdum,
Multaq́; adulãdi ſtudio cõfinxit vt Anglos
Sic ſibi conciliet: ſed paucis inde diebus
Corpus tabifico reſpergitur vlcere lepræ. Guilelm⁹
Alter in immundo reuolutus ſtercore vitã Eſtiuetus promotor
Finiyt: arguerat plerunq́; in carcere ficti contra Ioannam po
Criminis inſontem, pendenti lite puellam. ſtea punitur.
Sic & Calceonus, qui cẽſuit eſſe cremandã, Petrus Calceon⁹
Pẽdula dum tonſor ſecat excremẽta capilli, punitur.
Expirans cadit & gelida tellure cadauer
Decubat, vltrices ſic pẽdũt crimina pœnas.
Tandem collatis patres vltroq́; citroq́;

Articulis, flãmas sub iniquo iudice passam
Darcida concordi decernunt ore: modũq́;
Angligenas violasse fori iurisq́; tenorem.

Delrius loco proximè indicato. *Philippus Bergomensis*, (nos autem huius Philippi testimonium fusè ante produximus) *ait tum duos adhuc ex iniquis Joannæ iudicibus fuisse superstites citatos, & legitimè conuictos, damnatosq́; & combustos, duorum verò aliorũ iudicum mortuorum ossa effossa, & similiter concremata fuisse, & iussum Rothomagi, vbi virgo fuerat cõbusta, templum cõstrui, & ex reliquis prædictorum bonis, quæ per sententiam confiscata fuerant, ibidem ad Dei honorem & defunctæ propitiationem sacrificium quotidianum institui, sic honor immeritæ detractus tandem vix vicesimo post mortem anno iudicio Pontificio restitutus.*

Cuius iudicij summa est habenda ratio propter authoritatem Sedis Apostolicæ, quæ omnes iudicat, & à nemine iudicatur, can. cuncta per mundum 9. q. 3. Quod si res iudicata à secularibus iudicibus pro

veritate accipitur vt ait Vlpianus in l. ingenuum ff. de ſtat. hom. & in l. res iudicata. ff. de reg. iur. multo magis iudicium à ſummo Pontifice prolatum qui Chriſti vicarius eſt cap. quanto de trãſlat. ep. longè æquiſſimum eſt cẽſendum, quod idem de Delegatis à ſummo Pontifice dicendũ eſt, præſertim cum illius vices gerant cap. ſanè. 2. de off. iud. deleg. & tum Pontifex tum ipſi legitima authoritate vtẽtes non hominis ſed Dei iudicium exerceant, cap. 19. libri ſecundi paralipom.

Sed quàm attentè & grauiter, quantaque diſquiſitione & diligentia, adlaborãte Carolo VII. ſpectati prudentia & religione viri, incubuerint ad cauſam Ioãnæ cognoſcendam; quàm religioſo ac celebri iudicio, cõperta eius innocentia, damnationis eius acta reſciderint, teſtes nobis ſunt huius hiſtoriæ ſcriptores, præſertim illius temporis; teſtis ſententia ipſa, quæ pro innocẽte ſolemni ritu ac cæremonia pronunciata eſt. De Scriptoribus autem illius temporis placet illo potiſſimum vti,

Iniquæ in Ioannam ſententiæ diligens recognitio.

latino anonymo, ex quo rem deſcribit Meyerus: & placet ideo, quòd vnus fuit ex ijs quos Carolus VII. de Ioannæ cauſa conſuluit, quique lectis pronunciati in eã iudicij actis, cognitiſque criminationum cauſis omnib⁹, libellos de re tota ſuæ ſententiæ indices ad eum dederunt, verba illius hæc ſunt. *Poſtquam Normãnia pulſis Anglis in fidem rediјſſet, vidimus eius proceſſum & examinauimus: ex quo quidẽ proceſſu, non ſufficienter conſtabat, ipſam de alicuius erronei dogmatis contra veritatem doctrinæ Catholicæ aſſertione conuictam, vel in iure confeſſam: & per hoc hæreſis, atq; relapſus ſatis manifeſtè fuiſſe fundamentum: quãquam enim præter hoc poterat proceſſus huiuſmodi ex multis capitibus argui vitioſus, corã capitalibus inimicis, ſæpè per eã recuſatis, denegato etiam ei omni conſilio, quæ ſimplex puella erat, factus, & habitus: quemadmodũ ex libello quem deſuper ab eodem Carolo, expetito à nobis conſilio edidimus, ſi cui ad cuius venerit manus legere vacauerit: latius poterit*

Proceſſus ſeu cauſa Puellæ à Gallis retractata.

Libellus anonymi de puellæ innocẽtia

rit patere. Pulsis enim de Normannia Anglis, idem Carolus Rex per plures regni sui prælatos, & diuini atque humani iuris Doctos homines diligenter processum prædictũ examinari & discuti fecit, & de ea materia plures ad eum libellos conscripserunt, quibus coram certis, à Sede Apostolica ad cognoscendum & iudicãdum de huiusmodi materia, iudicibus delegatis, exhibitis & maturè perlectis per eosdem iudices in sententiam quam prædiximus extitit condescensum. Et sententia contra eam data sub Anglorum imperio cassata & reuocata. Sententiã Anglorũ legitimè reuocata.

Postea subijcitur ab eodem. *Missa erat à Deo Puella ne quis ponat carnẽ brachiũ suum. Ne Anglorum superbia suis nimium fideret viribus. Gloriabantur in suis viribus. Deo non attribuebant suas victorias. Ostendere illis Deus voluit, quod stultè & impiè fecerunt suis duntaxat fidentes viribus, & victoriam ostendit in sexu fragili, sicuti in Delbora, Iudith, Hester. Hæc & plura de virgine ille anonymus Synchronus Puellæ.*

Denique, sanctissimo iure atque ordine dicta pro innocente ab Apostolicis iudicibus sententia, quæ asseruata in thesau. ro sacrosanctæ Capellæ Palatij Regij Parisiensis vt à me diligenter ibidem inspecta, sic fideliter à me hic reddetur.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, PATRIS ET FILII ET Spiritus sancti. Amen.

Delegatorum ab Apostolica sede Ioannæ innocetia sententia atque authoritas.

ÆTernæ maiestatis prouidentia Saluator Christus Dominus Deus & homo beatum Petrum, & Apostolicos successores, ad suæ militantis Ecclesiæ regimen instituit speculatores præcipuos, qui luce veritatis aperta, iustitiæ semitas incedere docerent, vniuersos bonos amplexantes, releuantes oppressos, & declinantes ad deuia, per iudicium rationis, reducentes ad vias rectas. Hac autem authoritate fungentes, in hac parte nos Ioannes Remensis, Guilielmus Parisiensis, Richardus Constantiensis Dei gratia Archiepiscopus, & Episcopi: ac Ioannes Brehal de ordine fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professor,

hæreticæ prauitatis in regno Franciæ alter inquisitor, iudices à sanctissimo Domino nostro Papa moderno specialiter delegati. Viso processu coram nobis solemniter agitato in vim suscepti per nos reuerenter mandati Apostolici nobis directi pro parte honestæ viduæ Isabellis Darc olim matris, ac Petri & Ioannis dictorum Darc fratrum Germanorum, naturaliũ & legitimorum bonæ memoriæ Ioannæ Darc vulgariter dictæ la Pucelle defunctæ, suorumq; parẽtum nominibus actorum. Contra & aduersus inquisitorem hæreticæ prauitatis in Diocesi Beluacensi constitutum; contra promotorem negotiorum criminalium Episcopalis curiæ Beluacensis, nec non contra Reuerẽdum in Christo patrem dominum Guilielmum de Hellenda, Episcopum Beluacensem, cæterosq; vniuersos & singulos sua hac in parte interesse credentes respectiuè, tam coniunctim quam diuisim reos. Visa imprimis peremptoria euocatione, & executione eiusdem ad ipsorum actorum, simulq; nostri promotoris ex officio nostro in

hac causa per nos instituti, iurati, & creati instantiam, per nos decreta aduersus dictos reos visuros; rescriptum ipsum executioni mandari dicturos in, aduersus, respõsurosq́, & processuros prout ratio suaderet. Visa petitione ipsorum actorum, factaq́ rationibus conclusionibus eorum in scriptis redactis per formam articulorum concludentium, tendentium ad nullitatis, falsitatis, iniquitatis & doli declaratione͂, cuiusdam prætensi processus in fidei materia olim contra dictam defunctam in hac ciuitate per defunctos Dominum Petrum Cauchon tunc Beluacensem Episcopum, Joannem Magistri, Subinquisitorem præte͂sum in eadem diocesi, & Ioannem de Estiueto promotorem, aut pro promotore ibidem se gerentem, facti & executioni demandati, saltem ad eiusdem cassationem & adnullationem, adiurationem sententiarumq́, ac omnium inde secutorum, & ad eiusq́ defunctæ expurgationem, & fines alios ibidem expressos. Visis quoq́ sæpius, perlectis, & examinatis libris originalibus,

instrumentis, munimentis & actis, notulis, & protocolis processus antedicti nobis in vim nostrarum compulsoriarũ literarum à notarijs, & alijs traditis & ostensis, signisq; & scripturis eorum in præsentia nostra recognitis, longaq; super eis cum dictis notarijs & officiarijs in dicto processu constitutis, & consiliarijs ad dictum processum euocatis, quorum præsentiam habere potuimus, communicatione, ipsorumq; librorum, & notarum abbreuiatarum collatione, & cõparatione præhabitis. Visis etiã informationibus præparatorijs tã per reuerendißimum in Christo patrem Dominum Guilielmum tituli sancti Martini in montibus presbiterum Cardinalem sanctæ sedis Apostolicæ in regno Franciæ tunc legatum, vocato secum nobis inquisitore post visitationem eorundem librorum, & instrumẽtorum eisdem præsentatorum, quã etiam per nos, & commissarios nostros in huiusmodi processus exordio confectis. Inspectis etiam & consideratis varijs tractatibus Prælatorum, Doctorum & practi-

corum solemnium, & probatissimorũ, qui libris, & instrumentis antedicti processus ad longum visitatis, dubia elucidanda duxerunt, & ex eiusdem Reuerendissimi patris ordinatione & nostra editis, & compositis. Visisq; articulis & interrogatorijs præfatis pro parte actorum, & promotoris nobis præsentatis, & post plures euocationes ad probandum admissis, attentisq; testium depositionibus, & attestationibus tam super cõuersatione, & egressu eiusdem defunctæ à loco originis, quam super examinatione ipsius in præsentia plurimorum Prælatorum, Doctorum, & peritorum, & præsertim Reuerendissimi Patris Reginaldi olim Archiepiscopi Remensis dicti tunc Episcopi Beluacensis metropolitani, Pictauis & alibi facta diebus iteratis, quam super admiranda liberatione ciuitatis Aurelianensis, progressuq; ad ciuitatem Remensem, & coronationem regiam, quam circa circunstantias ipsius processus, qualitates Iudicum, & procedendi medium. Visisq; etiam alijs literis, instrumentis, &

munimentis vltra dictas literas: depositiones, & attestationes in termino ad procedendum traditis & productis, præclusioneq; dicendi contra huiusmodi producta: nostroq; deinde audito promotore, qui visis eisdem productis dictisq; actoribus, plenariè se adiunxit, ac pro, & nomine officij nostri, præfata omnia iam producta pro sua parte reproduxit, ad fines in scripturis dictorum actorum iam expreßis sub certis protestationibus, alijsq; requestis, & reseruationibus, pro parte sua, & dictorum actorum factis, & per nos admißis vnà cum quibusdam motiuis iuris sub breuibus scripturis valētibus animum nostrum aduertere, per nos receptis; Postq; in Christi nomine in causa concluso, & die hodierno ad audiendum nostram sententiam aßignato. Visis maturèq; reuolutis, & attentis omnibus, & singulis superius expreßis, vnà cum certis articulis incipientibus, QVAEDAM FOEMINA, *quos post dictū primum processum iudicantes prætenderunt extractos fore ex confeßionibus dictæ Puel-*

læ defunctæ, & ad quamplurimas solemnes personas ad opinandum transmiserunt, & quos ante dicti promotor, & actores impugnarunt tanquam iniquos, falsos, & à dictis confeßionibus alienos, & mendosè confictos multipliciter. De DEI vultu nostrum præsens prodeat iudicium, qui spirituum ponderator est, & solus reuelationum suarum perfectus est cognitor, & iudicator verißimus, qui vbi vult, spirat, & quandoq; infirma eligit, vt fortia quæq; confundat non deserens sperantes in se, sed adiutor eorum in opportunitatibus & tribulatione. Habita matura deliberatione tam circa præparatoria, quam circa decisionem causæ, cum peritis pariter, & probatis, ac timoratis viris. Visisq; solemnibus eorum determinationibus tam in tractatibus magna cum reuolutione librorum editis, & compositionibus multorum; Visisq; opinionibus verbo pariter atq; scripto tam super forma, quàm super materia præfati processus traditis, atq; dictis, quibus facta dicta defunctæ magis admiratione

tione, quam condemnatione digna existimant reprobatorium, & determinatoriũ contra eam datum iudicium, & formæ & naturæ ratione plurimum admirantes, & difficillimum dicentes de talibus determinatum præbere iudicium, beato Paulo de suis reuelationibus propriis dicente, an eas in corpore, vel in spiritu habuerit se nescire, & Deo super hoc se referre. Imprimis dicimus, atque iustitia mediante decernimus articulos ipsos incipientes, Quædam fæmina in processu prætenso, & instrumẽto prætensarum sententiarum contra dictam defunctam latarum, descriptos fore, fuisse, & esse corruptè, dolosè, calumniosè, fraudulẽter, & malitiosè ex ipsis prætensis processu, & confessione dictæ defunctæ extractos tacita veritate, & expressa falsitate in pluribus punctis substantialibus, & ex quibus deliberantium & iudicantiũ animus poterat in aliam deliberationem pertrahi, plurimasque circũstantias aggrauãtes in processu, & confeßione præfatis, non contẽtas, indebite adycientes, & nonnullas cir-

cunstantias releuantes & iustificantes in pluribus subticentes, formamq; verborum quæ sententiam immutat, alterãdo. Quapropter ipsos articulos, tanquam falsos, calumniosè, dolosè extractos, & à confeßione eadem difformes cassamus, irritamus, & adnullamus, ipsosq; quos in adiecto processu extrahi fecimus hìc iudicialiter decernimus lacerandos. Insuper alijs eiusdem processus partibus diligenter inspectis, & præsertim duabus prætensis in eodem processu contentis sententijs, quas lapsus & relapsus iudicantes appellant: pẽsata etiam diutius qualitate iudicantium prædictorum, & eorum sub quibus, & in quorum custodia dicta Ioanna detinebatur; Visisq; recusationibus, submißionibus, appellationibus, ac requisitione multiplici, per quam dicta Ioanna ad sanctam sedem Apostolicam & sanctißimum Dominũ nostrum summum Pontificem, se, omniaq; dicta pariter & facta ipsius, ac processum trãsmitti sæpius & instantißimè requisiuit, se, & prædicta omnia eidem submittendo; Attentiq; circa

dicti processus materiam quadam abiuratione prætensa, falsa, subdola, & per vim & metum præsentia tortoris & comminatam ignis crematione extorta, & per dictã defunctam minimè præuisa & intellecta: Nec non præfatis tractatibus, & opinionibus Prælatorum ac solemnium Doctorum in iure diuino pariter & humano peritorum, crimina dictæ Joannæ imposita in præfatis prætensis sententijs expressa ex serie processus non dependere, aut colligi posse dicentium, & multa elegantißimè de nullitate & iniustitia in hoc, & alijs determinantium, cæterisq; omnibus, & singulis diligenter attentis quæ in hac parte attendenda & videnda erant pro tribunali sedentes, Deum solum præ oculis habentes, per hanc nostram definitiuam sententiã quam pro tribunali sedentes ferimus in his scriptis. Dicimus, & pronunciamus, decernimus, & declaramus dictos processus & sẽtentias, dolum, calumniam, iniquitatem, repugnantiam, iurisq; & facti errorem continentes manifestum cum abiuratione

præfata executionibus & omnibus inde sequutis, fuisse, fore, & esse nullos, et nullas, inualidos et inualidas, irritas, et inanes. Et nihilominus quantum opus est, ratione iubente, ipsos, et ipsas cassamus, irritamus, et adnullamus, ac viribus omninò vacuamus, dictamq; Ioannam, ac ipsos actores, et parentes eiusdem nullam notam infamiæ seu maculam occasione præmissorum cõtraxisse, seu incurrisse immunemq; à præmissis, et expurgatam fore et esse declarantes, et in quantum opus est, penitus expurgantes. Ordinantes nostræ huiusmodi sententiæ executionem seu solemnem intimationem in hac ciuitate protinus fieri in locis duobus. Altero videlicet in promptu in platea sancti Andreni, generali Processione præcedente, et in sermone generali: et alio die crastina in veteri foro: in loco scilicet in quo dicta Ioanna crudeli, et horrenda crematione suffocata est, cum solemni ibidem prædicatione, et affixione Crucis honestæ ad memoriam perpetuam, ac eiusdem et aliorum defunctorum exorandas

ſalutes, vlteriorem dictæ noſtræ ſententiæ executionem, intimationem, & pro futura memoria notabilem ſignificationem, in ciuitatibus, & huius regni locis inſignibus, prout viderimus expedire, & ſi quæ alia ſuperſunt peragenda, noſtræ diſpoſitioni, & ex cauſa reſeruando.

Lata, lecta, & promulgata fuit hæc præſens ſententia per dominos Iudices, præſentibus Reuerendo Patre Domino Epiſcopo Hectore de Quoquerel, Nicolao du bois, Alano Oliuier, Joanne du Bec, Ioanne du Gouys, Gulielmo Rouſſel, Laurentio Sueray Canonicis, Martino Laduenu, Ioanne Rouſſel, Thoma de Fanoullieres: de quibus omnibus Magiſter Simon Chapitault promotor, Joannes Darc, & Preuoſteau, pro alijs petierunt inſtrumentum.

Acta fuerunt hæc in palatio Archiepiſcopali Rothomagenſi, Anno Domini 1456. die ſeptima menſis Iulij.

Porrò in eodem ſacroſanctæ Capellæ palatij regij Pariſienſis theſauro, eodēque in volumine in quo præfatam delegato-

rum à ſede Apoſtolica iudicum ſententiam vidi & legi, extant varia in honorem puellæ ſcripta, atque in primis opus Domini Heliæ Epiſcopi Petragoricenſis. Secundo, tractatus magiſtri Roberti Cyboli Academiæ Pariſienſis Cancellarij. Tertiò opuſculum F. Ioannis Brehalli ordinis fratrum Prædicatorũ, quibus animi magnitudo, & conſtantia Ioannæ puellæ mirificè prædicatur, ipſiuſque probitas ac integritas ab hoſtium, & maledicorum calumnijs inſigniter vindicatur. Atque hactenus, cuius fortiſſimæ virginis defẽſionem laudemque mihi propoſui, eam iuſtis laudibus ornatam, contra obtrectatorum cõuitia generatim atque abſolutè defendi. Verùm quia inter ſcriptores noſtra ætate modeſtia & doctrina claros, inuentus eſt non nemo, qui de puellæ iſtius virtute & conſtantia parum commodè ſentiens, poſſit fortaſſè incautiores nonnullos ſua authoritate in errorem inducere. Reſpondebo ei modeſtè atque amicè, quòd quem hominem ſuſpicio pro ſua

virtute & doctrina, in eum acerbo animo neque debeo esse, neque possum. Is est ad mores accomodatioris literaturæ cultor eximius Iustus Lipsius: qui vt in censendis veterum libris accuratus & industrius, ita in colligendis politicis præceptis politus & solers, vellem eadem cura qua cætera tractauit, rebus etiam Caroli septimi accisis missum è cœlo remedium suspexisset. Non inter superstitionis exempla, Ioannæ in Franciam aduētum recensuisset, non ad extremum vacillasse vaticinij fidem scriptum reliquisset. Lipsius igitur in suis politicis, lib. 1. cap. 3. cum ex Curtio retulisset, quòd nulla res efficaciùs regeret multitudinem quàm superstitio, addit in suis ad id caput notis, vsos vel abusos superstitione sæpè viros principes, ad res magnas scilicet gerendas. Exempla pauca ex antiquitate refert Scipionis qui Iouem in Capitolio consulebat; Sertorij qui ceruam circumducebat; Marij qui Syram fatidicam; Syllæ qui sigillum Apollinis in prælijs ostentare solebat. Exempla

In Lipsiū pro Ioanna velitatio.

plura, inquit, ſed illud Caroli ſeptimi Galliarum Regis eximium, cuius res acciſas valde reparauit hoc commentum, deinde narrationem virgunculæ Ioannæ Lotharingæ ſubtexit, & ad oram paginæ virginis Gallicanæ enthuſiaſmum ſiue dolũ notat. Dubius eſt Lipſius Deo an dolo Galliæ liberationem à Puella factam tribuat. Commentum vocat: eius opera & ductu tamen, multa fortiter ac fœliciter geſta fatetur. Tandem vacillaſſe vaticinij fidem ait, cum ab Anglis capta exuſta eſt vt præſtigiatrix. Hîc iudicium ſyncerum in viro ſyncero deſidero. Veteres illos duces ſuperſtitione vſos in rebus bellicis, idque ſucceſſiſſe fœliciter nõ abnuo. Nempe illi puriorem religionem nullã agnoſcebant, qua fortitudinem labantium militum excitarent. Idem Carolum ſeptimũ factitaſſe, nec verum, nec vero ſimile: Etenim teſtantur ſcriptores etiam Burgundicæ factionis Carolum è ſolutiore vita ad meliorem conuerſum vbi ſpem in Deo collocaſſet, diuinum præſens auxi-

lium ſenſiſſe, ductuque Ioannæ non ſine diuino numine eum adeuntis, aduerſus Angli dominatum regnum auitum in libertatem aſſeruiſſe. Non eſt ſuperſtitioni, ſed religioni tribuendum, quod conuerſis & pœnitentibus proſperè euenit. Vera religio ſuperſtitionem ſociam non patitur, falſa, mera impietas eſt, & ſuperſtitione tegit impietatem. Superſtitione leges ſuas firmarũt, qui ex colloquio, cum Dijs ſcilicet habito, illas ſe habere commenti ſunt. Minos quidem cum Ioue, Lycurgus cum Delphico Deo, Numa cum Egeria Nympha, at quis adeò temerarius ſit qui ab illorum exemplo argumentetur Moſen Hebræorum Legiſlatorem quadraginta dierum cum Deo colloquium finxiſſe, quò leges ſuas auguſtiores Iſraëliticæ genti & veneratione digniores faceret? Toto nempe cœlo diſtant inter ſe religio, & quæ ſub religionis vmbra delitescit ſuperſtitio. Quare religioſi & Chriſtianiſſimi Principis conſilium non magis inter commenta Scipionis, Sertorij,

Marij, Syllæ annumerandum, quam Numæ, Lycurgo, Minoi, Moſes comparandus. Venit ad Regem puella, non humana aliqua fraude inducta, ſed à Deo inſtincta, ſed vocibus è cœlo auditis ſæpè admonita: Quodque ſe diuinitus miſſam certò ſciebat, id ita eſſe certò & conſtanter aſſeruit. Quem in finem dicet aliquis? Ad pellendos è Gallia Anglos: ad Carolũ VII. quem legitimo regno exutum ibant, defenſum armis, Rhemos ad ſacram vnctionem perductum, ſuo in regno ſtabili & tranquilla ſede collocandum. Vt hinc etiam intelligamus totã puellæ hiſtoriam miraculũ atq; in rebus humanis altũ diuinæ prouidẽtiæ quaſi myſteriũ fuiſſe, id quod ſentire ſe & exiſtimare aſſerit vir de literis deq; foro meritiſſimus Stephanus Paſchaſius Pariſienſis Aduocatus, libri quinti conquiſitionum Francicarum capite octauo. Et verò, quod ſibi mandatum eſſe dixit, quod facturã promiſit, id egregiè præſtitit eiuſque verba fœliciſſimus rerum Gallicarum euẽtus eſt conſecutus.

Sed ne totam hiſtoriam retexere velle videar, redeamus ad iudicium & ſermonē Lipſij. Ad extremum, inquit, vacillauit vaticinij fides. Quomodo aut quando vacillauit ô Lipſi? Quando capta, igne exuſta eſt vt præſtigiatrix. An tu verò præſtigiatricem cum Anglis aſſeris? vide quæſo ne qui humaniſſimus ſemper es habitus pari crudelitate cum ijs labores, qui famā religioſæ virginis verbo tam irreligiosè perſtringas; An fortè præſtigiatricem ex Anglorum iudicio non tuo recenſes? minùs peccas, peccas tamen cum vacillaſſe vaticinij fidem accuſatoribus credis, & ijs quidem, puellæ contra quam dicunt, inimicis. Meyerum ſaltem Belgam hiſtoricum audiſſes, qui Bethfordium narrat vt Philippum Burgundiæ Ducem placaret, ea ad illum mēdacia ſcripſiſſe, de quibus teſtimonium ipſius antè poſuimus; in quibus ſplendidum illud eſt, *Cum videret ſe morituram, confeſſam eſſe ſpiritus illos qui ſæpè illi apparuerant mendaces & falſos eſſe, per eos ſpiritus ſe eſſe deceptā, qui*

polliciti erant eam liberare. Erras quoque ſi ab exuſtione vacillationem arguis. Omnino hæc ſeparata ſunt, prædictio futurorum, & immerita mors prædictricis. Prædixerunt aduentũ Meſſiæ Prophetæ, eam ob rem multi ipſorum malè habiti, conuicijs affecti, interfecti, quis ex ipſorum nece prophetiæ fidem conuellat? Morte crudeliſſima perempti Martyres, dum Chriſto obſequũtur, dum Chriſtum imitantur, dum fidem ab ipſo acceptam conſtantiſſimè gentibus prædicãt; quis Chriſtianæ fidei profeſſionem, ſanguinis innocentis effuſione ſancitam, niſi ethnicus & paganus ludibrio eſt habiturus? Et quoniam totius huius negotij diſceptatio ex duobus capitibus pendet, ex ijs, ſi placet, id dijudicemus. Primum eſt de fide vaticinij, alterum de vaticinantis condẽnatione & exuſtione. Fides vaticinij vſq; adeò conſtitit, vt quæcunq; de rebus Caroli futura prędixerat omnino euenerint. Paſchaſius antè à me laudatus, *Videte,* inquit, *vt radijs ſancti ſpiritus per voces è*

cœlo auditas illustrata, multa prædixerit, quæ post contigerunt: nam vt lubens prætermittam, quod in primis Baudricurtiũ, deinde Regem quos ante non viderat, agnouerit: hoc enim fictè ex composito & simulatè gestũ interpretari poßit aliquis è vulgo sapiens. Mihi certè deliberatum est credere diuino eã afflatu futura occultaq; cognouisse, qui intelligam nihil vanè ab ea prædictum fuisse, nihil indicatum falsò ac temerè. Dixit illa Regi Carolo se à Deo missam vt Aureliam obsidione liberaret, deinde vt illum Rhemos duceret, vbi sacro oleo inunctus, coronatusq; regio diademate, Christianißimus Rex salutaretur. Nõne hoc vtrumq; præstitit? Mox vt ad Carolum peruenit, scripsit Regi Angliæ vt paci intenderet, fore haud multò post vt Rex Carolus recuperatis Gallorum opibus atq; animis, Regio honore Parisios ingrederetur idq; se diuinitus nosse. Nonne hæc postea contigerunt? Testata est apud Judices Ducem Aurelianũ Deo carum esse ac dilectũ, vnde id rescire potuit nisi Deo inspirante?

Decimus enim ferè quintus annus agebatur, ex quo afflictus ille Princeps graui custodia detinebatur, minima ſpe liberationis: paucis tamen poſt annis liberatus eſt, ſenexq; filium genuit, cui poſtea regni Galliæ corona obtigit. Is fuit Ludouicus XII. parens patriæ cognominatus, & è multis Galliæ Regibus deliciæ Frãcici generis. Dixit & iudicibus fore vt ante elapſum ſeptẽnium, Angli è Francia exterminarentur. Nonne ſexto poſt anno Carolus victor Lutetiam ingreſſus, factione Anglicana deleta regni prærogatiuam tulit: interlabenteq; illo tẽpore ex alijs regni Gallicani partibus Anglos eiecit? An putamus hanc inſanam, quæ iudicibus captiosè interrogantibus ſumma cõſtantia reſpondit euentura quæ poſtea ſummo cum Anglorum infortunio acciderunt? Poſt igitur tot generoſos actus, poſt tot veras prædictiones, poſt tot fœlices in cauſa tam iuſta ſucceſſus, dicemus hæc, diabolicas fraudes? dicemus hominum commenta fuiſſe? Certè dicunt faciuntque talia comminiſcentes,

quod ipſe (vt cum Perſio loquar)
Nō ſani eſſe hominis nō ſanus iuret Oreſtes. Neq; pietatē vllā in pcordijs eius habitare credā qui auſu temerario tā pia tā heroica Puellæ geſta, tam certa vaticinia lancinare audeat. Vt non penitus ab re author libri de mirabilibus victorijs fœminarum orbis noui ita ſtatuat, eum qui non agnoſcit miniſterio puellæ, Galliæ regnum eſſe recuperatum & conſeruatum, indignum eſſe qui in eo partem aliquam ſibi vendicet, ſeu Princeps, ſeu ſubditus ſit, teſte Ioan. de Marconuille libro de fœminarum bonitate & malitia.

Hæc de fide vaticinij aduerſus Lipſianam vacillationem. Nunc ad alterum caput veniēdum, de damnatione ad ignem & exuſtione puellæ. Quid cenſes Lipſi? truculentam hanc Cataſtrophen, puellæ præclara facta dehoneſtaſſe? At glorioſiſſimam fuiſſe mortem iudico, neque honeſtiore vitam exitu finire potuiſſe virginem innocentem. Quid ſi medijs in prælijs incautius pugnans cecidiſſet? Quid ſi

morbo inglorio decessisset? vnde pudicitia, vnde innocentia ipsius nobis certa esset? Probauit series iudiciaria pudicitiam, probauit iniqui iudicis astutia constantiã, probauit ignis innocentiam. Quærebat omnes calumniandi vias Anglus, nunquam impudicitiam exprobrauit, tametsi medijs in castris versata fuisset, vbi pudicitia plerũque periclitari solet. Nunquam ipsius constantiæ vim attulit, quam etiam nunc admiramur ex generoso illo respõso, malle se Deo quàm hominibus obedire, cum iussa deponere virilem habitum, tradito à iudicibus muliebri, virilem eundem resumpsit. Ex cuius repetitione certissimam sibi mortem impẽdere sciebat. Quid illi facilius quàm iudicum manus effugere si iudicum minis territa, monitis eorum paruisset? Maluit illa mori, quã vel tantillum à diuinis vocibus recedere. Nũquam inuidia labefactare eam potuit, tametsi vt hæreticam, vt relapsam, vt præstigiatricem condemnaret. Talem pronunciauit iniquus iudex & brachio secu-

lari

lari puniendã tradidit. Sed ab omni eiusmodi crimine innocentem declararunt Iudices qui ad abolẽdam illius iudicij iniquitatem à Calixto summo Pontifice sunt delegati, vt superius relatum fuit,
Scilicet vt fuluũ spectatur in ignib⁹ aurũ,
sic medio in rogo funebri, puellæ candor, & simplicitas exploratricibus flãmis probata est. Erectum illi honoris theatrum cum media in vrbe Rotomagensi cunctis risui exposita, Normannorum & Anglorum insanis & ad mendaciũ compositis vocibus est appetita. Premitur virtus, non opprimitur. Exustum est puellæ corpusculũ, cinis in aëra iactatus, sed igne purior effectus animus in sedem æthereã cõmigrauit. Ante captã damnatãque puellam nondũ Anglus violentæ dominationis licet aliquoties profligatus meritas pœnas dederat: verũ vbi condemnata innocentia summæ impietatis reũ fecit, res suas omnes pessum & cessim ire sensit. Nimirũ plus mortua quã viua Britannis nocuit: ipsiusq; cineribus Albionio san-

guine eſt parentatum, vt non tantũ ex occupatis per vim & iniuriam vrbibus, ſed ijs quoq; quas optimo iure poſſidere credebatur, nomen Anglicum penitus eijceretur. Non mortis genus, ſed mortis cauſam infamare, dixerunt Iuriſconſulti *in l. ictus fuſtium. ff. de his qui notant. inf.*

Quocirca nec vitam, nec mores, nec præclarè facta, dictaque Ioannæ ex atrocitate ſupplicij dedecorare quẽquã oportuit, ſed ex hoſtili iudicũ rabie, & cauſæ innocentia ea metiri. Faceſſant ergo nunc procul qui etiamnũ hodie odio pluſquam anglicano vitã, pudicitiam, fortitudinem puellæ dicterijs & maledictis proſcindũt: quod virtuti, quod honori, quod gloriæ vertendum fuit, id venenato morſu inficiunt & malitioſo probro contaminant.

Hæc de fide vaticinij, hæc de igne non expiatore ſceleris alicuius, ſed illuſtratore virtutum puellæ, aduerſus illius obtrectatores dicta ſufficiant. Nos hoc vitæ miraculum cum Paſchaſio admiremur; pudicitiam, quam à pueritia adamatam, media

inter pericula militaria Christi ac cœli miles conseruauit; æquitatem causæ quam fouebat, fortitudinem qua in eadem causa defendenda, est vsa; prudẽtem simplicitatem qua versutorum iudicũ in ipsius necem conspirantium captiosas quæstiones egregiè dissoluit, refutauitque; prædictiones, quas veras euentus demonstrauit: mortem acerbissimam quam vitare potuit, si vel in speciem, verbo præ se ferret, dæmonum fraude se ad ea quæ gesserat inductam esse. *A*ddamus & cœlitum obiectas species Diui Michaëlis Archangeli, diuarum Catharinæ & Margaritæ, astantisque multitudinis Angelorum; voces deniq; è cœlo auditas, quibus ductricibus, eius ex hac vita ad beatam immortalitatem curriculum est peractum.

Quæ qui omnia colligere volet, intelliget vitam & historiã huius puellæ, totam miraculorum esse plenissimam.

Miraculorum inquam? imò & nobilium Documentorum, quibus cõmunis hominum societas, eorumque res & pu- Documẽta huic historiæ insita.

blicæ & priuatæ, quaſi iuſtiſſimis legibus ſalubriter temperentur.

Primum documẽtum.

In ijs primũ illud eſt, quod in hiſtoriæ huius viſceribus penitus inſidet: REGIBVS COLENDAM ESSE IVSTITIAM; QVÆ CONTRA EAM DOLO AVT ARMIS MOVENTVR, EA DENIQVE, VLTORE DEO SVIS AVCTORIBVS INFELICITER CEDERE. Carolũ VII. legitimũ regni Galliæ hæredẽ regno pellebat Anglus; erat armis humaniſque auxilijs Gallo ſuperior: Gallus æquitate cauſæ, & diuini numinis propugnatione ſuperabat. Vicit Iuſtitia iniuſtitiam, Regni inuaſorem legitimus hæres, legum ſanctitas meditatã in eas fraudem, bellicoſos exercitus excitata à Deo puella, humanas vires, tenuis diuinæ dextræ impulſus vicit. Inuadendi regni Galliæ ius, per nuptam ſibi Heroinam Francicam Anglus contra Salicæ legis columẽ ſibi arrogabat. Vanum hoc ius eſſe & cõmentitium; lege Salica ſtare maieſtatem Imperij Gallici, declarauit Gallo contra Anglum auxilio miſſa, diuina innuptæ

virginis fortitudo. Dicã clarius. Quia Hẽricus ſextus Angliæ Rex, è Catharina Frãcica nupta Henrico Quinto progenitus erat, adactis per vim à Philippo Burgundiæ Duce ad id matrimoniũ Carolo ſexto Rege Galliæ, Regina, Catharinaque ipſa Francica, quos in poteſtatem ſuam redactos Anglo dediderat; dictatiſq; eius matrimonij legibus ſuo arbitratu; in ijſque illâ, vt ſeu Carolo VI. liberi naſcerentur ſeu minimè, qui ex Catharina Francica & Henrico V. filij exiſterent, ij regni Galliæ hæredes eſſent: ideò inquam, procreatus ex hoc matrimonio Henricus ſextus Angliæ Rex, Lutetiæ id temporis ab Anglis Anglorumque fautoribus regni titulo & diademate ornatur. Angli ius ſibi ad regnum Galliæ quæſitum eſſe putant, bello regni poſſeſſionem quærunt. At vetabat hoc ius naturæ ac gentium, quod non patitur vt filius non ingratus exhæres ſit: Carolo autem VI. Galliæ Regi, filius erat ſuperſtes, regnoque aptus Carolus VII. Vetabat lex Salica, Francicæ coronæ co-

lumen ac fundamẽtum, quæ dum fœminas à regni hæreditate repellit, repellit & filios qui ſola materna origine de genere ſunt & ſanguine Francico. Certum enim eſt, excluſa aliqua perſona ex ea deſcendentes excludi, §. *hoc autem notãdum de his qui feud. dare poſ. & §. ad filias de ſucceſ. frat. in vſib. feud.* Salica autem lex, vt partem ex ea repetam noſtro huic inſtituto congruentem, concepta eſt his verbis.

Lex Salica. *Nulla portio hæreditatis de terra Salica mulieri veniat, ſed ad virilem ſexum tota hæreditas perueniat.* Terra Salica, terra Francico ſermone (vt paulò poſt conſtabit) regia ac libera, coronæ Francicæ ac domanij propria.

Sanè autem legem Salicam Gallis propriam fecit, legis cõditor, nominis ratio, regni maieſtas, mores & exempla antiquitatis.

Eius conditor. Legis conditor. Pharamũdus primus Francorum Rex, ratus humanè & ſapiẽter, non plus humanæ ſocietati imperitãdum armis eſſe, quàm ratione & legibus

præſidendum; rem Gallicam Salicis legibus fundare inſtituit. Nam cum ad ſedes quærendas profecti Franci (ſic hiſtoriæ memorant) ad Rhenum conſediſſent, nulliſque adhuc legibus admodum viuerent, Pharamũdus quatuor ex Sicambris ſpectatos viros deligit, Vzugaſtum, Loſogaſtum, Sologaſtum & Viſogaſtũ, ijs mandatum dat vt leges ſanciant ſcribantque: à quibus ſcriptam legem Salicam communi cõſenſu, regia authoritate promulgat. Sigebertus Gemblac. in chro. Otto Friſingenſis, Trithemius, Beat. Rhenanus, Nicolaus Ægidius, Gaguinus, Ioannes Ferrault, Carolus de Graſſalio. P. Gregorius, Claudius Prat. & alij complures.

Nominis ratio. Quid ſit quod legis Salicæ nomen fecerit, ſæpè à multis curioſè quæſitum eſt. Quibuſdam probabile inuentum viſum eſt, à ſalicibus quaſi Salictã Salicam eſſe appellatam, quia rure inter ſalices promulgata ſit Francis, ante vrbes & oppida, ab ijs condita occupataue. Alij Salicam à ſale deriuatam; ſiue quia leges Nominis etymon.

Salicæ primæ fuerunt Francorum leges, sal autem ante reliquas dapes primùm ad mensam apponitur: siue quod primę illæ leges ad conglutinandos Francorum animos sunt institutæ, haud secus atque ex liquidis & fluentibus aquis sal in solidum quiddam coalescit. Quid si etiam à sale dictę ideò sunt, quia ipsarum conditores, perpetuas firmasque esse voluerũt? Nam salis propria incorruptio est, eiusque conditurâ carnes corporaq; id genus, astringi humore exeso, atque à putredine defẽdi solent. Sal ideò ad leges, ad pacta, ad sacrificia, diuino humanoque more est adhibitus, vt puri atque incorrupti animi symbolum, diuturnęque firmitatis argumentum. Leuitici cap. 2. *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal.* Et Numer. cap. 18. *Pactum salis est sempiternum coram Domino tibi ac filijs tuis.* Et 2. Paralip. cap. 13. *Nũ ignoratis quod Dominus Deus Israël dederit regnum Dauid super Israël, in sempiternum.*

ternum, ipsi & filijs eius in pactum salis? id est in pactum firmum ac sempiternũ. Homerus ΙΛ. Ι. πάσσε δ' ἁλὸς θείοιο. *inspersit sale diuino.* Virgil. 2. Æneid.

mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, & circũ tempora vittæ.

An fortè Salicis legibus nomen à sale est, quia sal prudentiæ sit & sapientiæ symbolum? quippe qui & sapidus sit ipse per sese, & saporem cibis alijs inducat. Apostolus quidem, Coloss. 4. *Sermo vester*, inquit, *semper in gratia, sale sit conditus.* Nempe qui leges Salicas tulerunt, eas id temporis voluerunt esse prudentiæ politiæque Gallicæ fundamenta. Venustè ista & eleganter. At mihi illorum sententia multò & simplicior videtur & verior, qui legi Salicæ nomẽ ex eo factũ putant, quod lex propria esset Francorum; Francos autem ex omnibus Galliæ populis, Salios esse appellatos refert Ammianus Marcellinus lib. XVII. in Constantio, *Cæsar*, inquit, *petit primos omnium Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appella-*

uit. At vnde, quæso, Franci consuetudine sunt appellati? Andreas Althamerus in Tacitum, Francos sic nuncupatos putat à Sala fluuio, quo pars Franciæ orientalis irrigatur: credo Sala Turingiæ fluuio, illoue etiã Austrasiæ nostræ flumine quod Salia, Salliaue vulgò appellatur: de quo Venantius Fortunatus, Metensis vrbis situm & flumina describens lib. 3. poëm. 12. ad Villicum episcopum Metensem.

Hic dextra de parte fluit qua Salia fertur,

Et lib. VII. ad Gogonem,

Seu qui Mettin adit, de sale nomen habens.

Verùm, quoniam Ammianus consuetudine sermonis Francos alios appellatos annotat, non à flumine vllo: eapropter haud ægrè Paulo Volzio atque alijs assentior, qui vetere Francorum lingua Salicũ idem fuisse interpretãtur quod immune ac liberum. Quo vsu obseruauit Beatus Rhenanus Salicas terras vocari solere Principum libera prædia atque immunia; & terram Salicam in vetustissimis diplomatis Iurisconsulti interpretantur fiscalẽ

& Regiam. Salij igitur Francique, duo quasi synonima sunt nomina, cũ vtrumque libertatis sit nomen ideoque leges eæ quibus libertatem remque publicam suam, ac regiam authoritatem Franci primo fundauerunt, iure, consuetudine sermonis leges Salicæ sunt appellatæ. Ex quo efficitur maximè id quod hîc agimus, vt lex Salica vel ex ipsa nominis etymologia, Francorum propria sit.

Regni Gallici ac legis Salicæ maiestas.

*R*egni maiestas. Claruêre quidem in omni antiquitate sacra & profana, multæ prudentia, fortitudine, ac rerum administrandarum laude illustres fœminæ. Diuinas literas nemo leget, quin *S*aras in ijs, Deboras, Iaheles, *A*bigaëles, Reginas *S*aba, Iudithas, Estheres commendatas legat. Quis autem in historia Ecclesiastica non aut Helenam Constantini matrem aut Pulcheriam Theodosij sororem, multis viris anteponat? Quis in re Gallica, aut Blancam vetustiore æuo, aut Catharinam superiore nostra memoria, aut hoc tempore ipso Mariam Medicæam, tres Chri-

ſtianiſſimorum maximorũque Regum, Chriſtianiſſimas ſpectatiſſimaſque Coniuges & *R*eginas: tres à virorum obitu, filiorum adhuc impuberum tutelaria columina, tres eaſdem *R*eligione, prudentia, rerum adminiſtrandarum laude præſtantiſſimas; regni interim & conſilij publici, dum filij regno adoleſcunt, ſapientiſſimas moderatrices, non ſuſpiciat atque admiretur? At ſic Francorum tamen animi & ingenia fuerunt, ea iam ab initio informata ab illis eſt regni Francici claritudo, ac maieſtas, vt *R*egum ſuorum obitu, nulli niſi regiæ virili ſoboli, regni hæreditatem obtingere voluerint. Quid ita? dicet fortaſſe aliquis. Primum, libertatis auidi, atque impatientes alieni dominatus, regnum egregiè Francum, (vt ſic loquar) id eſt, optimo iure modoque liberum atque immune, ſibi ſtatuere cogitarunt. Innatum autem eſt mulieri vt ſub viri ſit poteſtate; ei obnoxia, eius conſilio & imperio gubernetur. Niſi

viros igitur liberrimi regni ſummos Principes, atque hæredes eſſe noluerunt.

Deinde, cum firmiſſimum, clariſſimumque regnum animo deſignarent, illud viderunt natura duce, quod ſcriptis legibus Iuriſconſulti tradiderunt, familiarum dignitatem firmitatemque prole maſcula conſeruari l. 1. §. publicè. ff. de vent. inſp. & l. pronuntiatio. ff. de verbor. ſignific. Menander ςύλος γὰρ οἴκου παῖδές εἰσιν ἄῤῥενες. Columna domus filij mares. *A*c ſanè muliere regnum capeſſente, quid facilius, quàm vt matrimonio iuncta externo Principi, regnum in eius familiam & gentem donatione aut morte transferat? Quid ſi amore percita, nubat homini abiecto aut infami? quæ erit imperij illius celſitudo ac dignitas? Qui non in tali populo bellorum motus tam indigna non ferente?

Tertia apud me ratio eſt; quod qui virorum nomen, præ cęteris populis, fortitudiniſque laudem ambiebant, ij me-

ritò viris tantùm, summam imperij sui dignitatem mandandam esse putauerũt.

Quartò, diuinæ ac cœlestes prærogatiuæ quibus regnum Gallicum, Deus præ cæteris orbis atque Ecclesiæ regnis exornauit, Christianissima pietas, numerosissima sanctorum virorum, ac Præsulum, clarissimaque multitudo, Regum augusta maiestas, rerum pro Ecclesia pace ac bello gestarum magnitudo, sacra Ampulla, Lilia, Auriflammula, tria cœlo allata munera; strumarum regio attactu curatio; victoriæ inclytæ, vt Clodouæi Clotildis instinctu Christo vota faciẽtis; vt hæc ipsa, Puellæ Ioannæ ope parta; Theologiæ, Iurisprudentiæ, Medicinæ, atque omnium honestarum artium domicilia & plurima & celeberrima; Supremæ Curiæ legum ac iustitiæ propugnacula; sacra torquata militia; ipsa imperij celsissima forma ac species; documẽto sunt Regnũ ac populum Francicum, iam inde à principio singulariter Deo curæ fuisse; singulariter ab eo, in Christianæ Ecclesiæ rem

atque opem erectum & constitutum esse. Quare, vt ad regnum Israëliticum viri dũtaxat à Deo electi, viri duntaxat hæreditario iure peruenerunt; sic ad Christiani illius regni, quod Israëlitico regno, & religioso Dei cultu, & sacra vnctione, & duodecim regni Proceribus ac Paribus; & Dei propria cura, ac prouidentia, maximè germanum ac simile est, regni inquã Gallici hæreditatem adire fas viris tãtum est, fœminis nequaquam. Quocirca Baldus in cap. 1. de feud. marchiæ *Sãguinem Franciæ* ait, *esse perpetuum, adeò quod si extaret vnus de sanguine antiquo masculus, excluderet fœmellam in infinitum, etiamsi esset in millesimo gradu*: quod Baldi dictũ plus diuinum quàm aureum esse asserit Vincentius Sig. in suo tractatu de fact. Princip. cap. 3

Considerate lilia agri (inquit Christus Lucæ 12.) *quomodo crescunt, non laborant neq; nent*. Quibus verbis ferunt, quo tempore Philippus Valesius regnum adeptus est, conclusum esse, contra impugnantes

legem Salicam Lilia Gallorum non deberi nisi nobilibus qui non laborant; non nisi maribus qui non nent. Maneat igitur ex regni legisque Salicæ maiestate certum ac fixum, Catharinam Francicam Caroli VI. filiam, nihil ad regnum Galliæ hæreditarij iuris habuisse: ob eamque rem, etsi ex ea Anglo nubere coacta procreatus sit Henricus VI. Rex Angliæ, nihil tamen ab ea hæreditarij iuris in regnum Franciæ ad Henricum sextum, aut omnino ad nomen Anglicum permanasse. Quare & immeritò Hẽricum VI. hoc nomine Regem Galliæ esse appellatum: & bella quæ potiundæ idcirco Galliæ ab Anglis Burgundisque contra Carolum VII. sunt gesta iniquè esse gesta: meritòque Gallis diuinum aduersus Anglos auxilium per puellam Ioannam affulsisse.

Legis Salicæ in Gallia exempla & cõsuetudo.

Quartum legis Salicæ columen, sunt mores & exempla antiquitatis, id est, vno verbo, consuetudo, tum ipsa per se lex, quando honesta est, tum optima legum interpres l. si de interpretatione. ff. de legib.

gib. cui tanquam matri reuerentia est adhibenda, teste Bald. conſ. 185. cum habeat vim decreti veritatis & iuſtitiæ ex eodem Baldo cap. 1. qui feud. dare poſ. & Doctorum communi doctrina in rub. de conſuet. & in l. de quibus. ff. de legib.

Tenuit autē hoc ſemper inter Gallos, vt ſummi imperij molem, viriles humeri, non fœminei ſuſtinerent. Quo in genere ponam aliquot antiquitatis iudicia & exēpla. Primum; cum Ludouici Hutini filia, vxor Caroli Comitis Ebroicenſis, ſola patri ſuperſtes, paterna regna Galliæ & Nauarræ, ſibi vt ſoli & legitimæ hæredi peteret, ſic ex regnorũ iure diuiſa iudicij ſententia eſt, vt regni Nauarræ, quia iure ſucceſſionis in hæredes cuiuſque ſexus tranſferri ſolet, hæres & eſſet & diceretur; Regnum Galliæ non ipſi, quippe ſoli maſculæ proli regiæ, hæreditarium, ſed Philippo Longo eius patruo, fratri Ludouici Hutini deferretur. Alterum; Philippo Longo è viuis abeunte, nulla poſt ſe relicta virili prole, regnat, non eius filia, ſed

Carolus Pulcher, alter ipſius Philippi Lõgi frater. Tertium, cum Carolus Pulcher è vita exceſſiſſet, vxore vterum ex eo geſtante, Philippus Valeſius Interrex, regniue adminiſtrator dictus & conſtitutus eſt. Poſt, mortuo poſthumo Caroli Pulchri, excluſa Iſabella Philippi Pulchri filia, quam Edoardus ſecundus *A*ngliæ Rex vxorem duxerat; excluſoque eodem iure Edoardo ex ea tertio, Philippus Valeſius, Philippi Diui Ludouici filij nepos, ſupremo Parium Franciæ iudicio, & ſententia, Rex Galliæ renunciatus, coronatuſque eſt: ẽſto Iſabella eſſet Carolo Pulchro conſanguinitate propinquior, ac ſoror. Froiſſard. volumine primo cap. 22. Carolus de Graſſalio & Ioannes Ferrault in ſuis libellis Regalium & priuilegiorũ regni Galliæ.

Tenemus igitur conſuetudine regni Gallici, legiſque Salicæ authoritate, nihil ex matrimonio Catharinæ Francicæ, & Henrici V. Anglorum Regis, cauſæ fuiſſe Anglis, cur aut Carolum VII. Caroli VI.

legitimum hæredem, regno Galliæ exclusum vellent, aut id ſuo Henrico VI. vi & armorum motu aſſerere quærerent. Nihil mirum itaque, ſi quod contra æquitatem bellum mouebant, id in eorum perniciem recidit, Deo Gallicę æquitatis propugnatore, vel per teneram puellam eorum arma vlciſcente.

At matrimonij inquies, inter Catharinam & Henricum V. *A*ngliæ *R*egem ea lex dicta erat, vt qui ex ipſis exiſteret, is regni Galliæ hæres eſſet. Dicta ſanè lex; ſed à Philippo Burgundiæ Duce ira & dolore in Gallos inflammato, Regemque ipſum, Reginam, Catharinam eorum filiam, captos deditoſque *A*nglis, in id matrimonium adigente: quod dum hiſtoriæ narrant, nimirum legis illius iniquitatẽ narrant, quæ conuellere legis Salicæ authoritatem, neque potuit, neque debuit.

Quocirca rectè olim Edoardus tertius *A*ngliæ Rex, natus Iſabella Francica, Procerum Franciæ iudicio & ſententiæ ſubſcripſit, qua, præterito ipſo, regnũ Fran-

ciæ Philippo Valesio est demandatum; eidẽque se, consentiente *A*nglia, pro Aquitaniæ Ducatu, sacramento fidelitatis obstrinxit, anno millesimo trecentesimo vigesimo nono.

Fecêre etiam *A*ngli cõsultè & sapienter, cum post multas vtrinque clades ancipitesque victorias, tandẽ anno Domini millesimo quingẽtesimo decimoquarto, nubente Maria sorore Regis Angliæ, Ludouico XII. Francorum Regi, ius omne illi remiserunt, quod quacunq; de causa sibi in regnum Galliæ, aliquando vendicarant; idque de Procerũ *A*ngliæ cõmuni consilio & consensu. Carolus de Grassalio lib. 1. regalium Franciæ. iure 17. circa medium. Et Petrus Gregorius cap. 4. libri 45. syntagmatis iuris vniuersi.

Secũdum documẽtum.

Iam hoc alterum vitæ documentum, historia ista suppeditat; CRVDELITATEM DEO ET HOMINIBVS INVISAM ESSE; CLEMENTIAM, ETIAM IN HOSTES ESSE LAVDABILEM. *A*d cætera inhumanitatis exẽpla, quæ belli furor, *A*nglis in Gallos exprimere persua-

ſit, illud ad poſteros nobilitatũ eſt facinus, quo Ioannã Lotharenã puellã, miſſam diuinitus ſubſidio Galliæ, religione, pudicitia, armis, clementia nobilẽ, à qua de pace monita cõſiliaq; per literas acceperãt, bello captã, nullo dãnatã iuſto crimine, teterrimo mortis genere, cõtra oẽ ius belli iudicijque pemerũt; cremati corporis cineres, ne qua eius pars inter homines ſupereſſet, in profluentẽ proiecerũt. Nã certiſſimi iuris eſt milites in bello captos poſtq̃ à cõflictu ſemel receſſerũt nõ poſſe interfici, ſed tanquã ſeruos cuſtodiri & ſeruari, qppe à ſeruando potius quã à ſeruiẽdo appellati ſunt ſerui: qui ſi occidantur, lege Cornelia de ſicarijs perinde occiſores tenentur, ac ſi liberos occidiſſent. §. 1. de his qui ſunt ſui vel ali. iur. apud Iuſtin. & l. 1. iã gloſ. in verbo occiderit. ff. eod. tit. Guil. Bened. in cap. *Raynuti*⁹ in verb. cuidã Petro tradiderũt. nũ. 32. & Balthazar *Ayala* in ca. 5. lib. 1. de iure & offic. bellic. & diſciplina mil. quid ergo mirũ, ſi Anglis ex quo ſe tã inmani facinore cõſtrinxerũt, cõtigerint infęliciter vniuerſa, cępintq; in pei⁹ ruere

& retrò ſublata referri? Pulchrè Valerius Max. libro quinto tit. de humanitate. *Humanitatis dulcedo etiam in efferata barbarorum ingenia penetrat, toruoſq; & truces hoſtium mollit oculos, ac victoriæ inſolentiſſimos ſpiritus flectit. Nec illi difficile & arduum eſt, inter arma contraria, inter diſtrictos cominus mucrones, placidum iter reperire. Vincit iram, proſternit odiũ, hoſtilemq; ſanguinem hoſtilibus lachrymis miſcet.* Hæc ille. Hannibalem multis vitijs & ſceleribus reſperſum, multa fidei atque ingenij inconſtantia, multis fraudibus infamem hiſtoriæ loquuntur, tamẽ etiam Titus Liuius plurimis virtutibus præditum dixit. Credo, in parte, quòd tãtũ humanitatis in pectore barbaro inueniri potuit, vt militibus ac Ducibus Romanis hoſtibus ſuis captiuis honorem habuerit; mortuis, iuſtis parentauerit exequijs. Et quidem Pauli Æmilij apud Cumas trucidati, quæſitum corpus, quãtum in eo fuit, iacere inhumatum paſſus non eſt. Tiberium quoque Gracchũ ſummo

cum honore ſepulturæ mandauit; illius oſſa in patriam aſportanda, militibus Romanis tradidit; Marci Marcelli in agro Brutio interempti, ſolemni ritu exequias celebrauit. Cui proinde, vt eſt acutè à Valerio dictum, *aliquantò plus gloriæ Paulus & Gracchus & Marcellus ſepulti, quã oppreßi attulerunt: ſiquidem eos Punico aſtu decepit; Romana manſuetudine honorauit.* Hannibale etiam clementia ſuperiores Romani, qui Syphacem opulentiſſimum Numidiæ Regem victum & captiuum in cuſtodia Tiburi mortuum publico funere efferendum cenſuerunt, vt vitæ dono honorem ſepulturæ adijcerẽt. Conſimili clementia cum Perſes Albæ, in quam cuſtodiæ cauſa relegatus erat, deceſſiſſet, quæſtorem miſerunt, qui eum publico funere efferret ne reliquias regias iacere inhonoratas paterẽtur. At illam Achillis immanitatem, quanta, apud Poëtam, cum animi indignatione legimus?

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros,

Exanimumq; auro corpus vēdebat Achilles.

Quanto acerbitatis ſenſu Aſiaticos Galatas à barbarie deteſtamur? de quibus ſic eſt apud Diodorum Siculum libro quinto bibliothecæ. *Cum nonnulli ſtrenuè in acie pugnarunt, tum maiorum, tum ſuas laudes ac virtutes decantant, res hoſtium deprimunt, tanquam vituperatione dignas. Capita hoſtium in acie cadentium abſciſſa, equorum alligant collo, in foribus domorum, cum cantu atq; hymnis affigenda: quemadmodum feras ſolent venatu captas, Hoſtium nobiliorum capita aromatibus vncta in tectis condunt ſumma diligentia, oſtendentes ea hoſpitibus, nulloq; pretio ea, vel petentibus, vel alijs reddunt. Nonnulli eò iactationis prouehuntur, vt pro capite tantundem penſi auri nequaquam velint accipere, barbaram hoc pacto magnitudinem animi oſtentantes. Non enim virtutis bellicæ inſignia non vendere nobile eſt, ſed cum mortuis pugnare ferum habetur atq; agreſte.* Hæc ille. *At* feri iſti &cru-

& crudeles animi, sæpè etiam in hac vita, terroribus pœnisque alijs vltorem Deum sentiunt. Attalus Pergami Rex matrem anum & Beronicem sponsam cum occidisset, diuina Nemesi persequente, nunquam postea lætum vixit diẽ, squalidam vestem deposito omni regio ornatu sumpsit, barbam capillumque submisit, non in publicum prodire, non populo se ostẽdere, non domi lætiora conuiuia inire, aut aliquod signũ sani hominis edere visus est, prorsus vt pœnas pendere interfectorum manibus crederetur. Omissi deinde regni administratione ad hortulani opera se contulit, terram fodiens, & gramina serens. Ab hoc studio ærariæ artis fabricæ se tradidit & ære fundendo procudendoque ocium fefellit matri deinde sepulchrum facere instituit, cui operi intentus, morbo ex solis ardore contracto è vita excessit. Testis Iustinus libro trigesimo sexto. Cambyses falsa suspicione motus, fratrẽ interficit, sororem in vxorem ducit, fratris neci illachrymantem,

& grauidam interemit aſt ira numinis tã iniquum Regem diu regnare paſſa non eſt, nam cum in equum aſcenderet, decidens ex vagina gladius ferit ei femur, quo ex vulnere poſt paucos dies moritur. Herodotus lib. tertio. *A*riſtobulus Hircani filius qui primus ſe *R*egem poſt reditum ex Babylone nominauit: cum Antigonũ fratrem virum præſtantem regnum adpetere ſuſpicaretur, eum vnà cum matre quam fratris adiutricem exiſtimabat interfici curauit: poſtea cum ſtimulãte conſcientia nullam quietem capere poſſet, & magnis angoribus, in locum fraternæ cædis ſe geſtari iuſſit ibi ſanguinem vomens prodigioſo vitæ exitu extinctus eſt. Ioſephus lib. duodecimo antiquit.

Haud omnino his diſſimili ratione, ſenſerunt *A*ngli in hac cauſa, Gallorum dolorem & iniurias vlciſcentem Deum, dati conſpicuè in timorem, trepidationeque diſſoluti, vbi in armis fulgens Puella Ioanna eorum copijs propinquaret. Cuius nos rei locupletes teſtes ante adduximus.

Tertium documentum est. NON BELLICO APPARATV NEQVE HVMANIS VIRIBVS, SED PROPITIO DEI FAVORE VICTORIAS PARARI. Quis enim nõ crederet, Anglis iã media in Gallia, mediaque Lutetia regnantibus, scissis in factiones Gallorum studijs, cõsociante arma cum Anglo, potentissimo Burgundiæ Duce, destituto à suis Carolo VII. totã Galliã breui in Angli ditionem esse venturam? Ast aliter visum superis; vniusque puellæ Deo Duce in Galliam aduentu, erepta Anglo Gallia est; sibi suoque legitimo Regi restituta. adeò humana consilia spectanti, necesse est Thucydidêum illud verum videri; *Perrarò bellum eò quò euasurum prædicatur, euadit.* Semiramis ingentis animi mulier, cum Nino marito defuncto, regni Assyriorum administrationem filij nomine suscepisset, mariti famam, qui ad Indum vsque arma promouerat, & totam Asiam excepta India sibi subiecerat, rerũ gerendarum gloria antecellere cupiens,

Tertium documẽtum.

cum innumerabilibus copijs Indiã ador-ta, quarũ vi & armis ad Oceanum viam si-bi patefaceret, varijs cladib⁹ affecto exer-citu, domum redire coacta est; adeò non gloriam retulit, vt summum sibi dedecus pepererit; ex omnibus enim copijs haud supra viginti viros incolumes secum re-duxit. *Strabo lib. 15.* Cyrus Persarum Rex non satis gloriæ se assequutum ra-tus, translato ad se Medorum, qui *Assy*-rijs successerant imperio nisi illorum etiam conatus superaret, in *I*ndiam cum iusto exercitu expeditionem suscepit: ve-rùm tam tristi euentu vt vix cum septem militibus ad suos redierit. Haud magis fortunata Persarum, Dario Hystaspis filio regnãte, in *A*tticam expeditio fuit. Cum enim peditum centum millia, equitum decem millia in eorum exercitu essent tamen à decem millibus *A*theniensium, & mille Platæensibus nullo propè nego-tio deuicti sunt: etenim prima tantũ illorũ acies hostibus obuertit ora, neq; ipsa quidẽ satis cõstanter pugnã excepit, media &

poſtrema vix hoſte cõſpecto, præcipiti & fœda fuga claſſem repetierunt, ac præpediẽte multitudine, cũ naues conſcendere nõ poſſent, miſeri Perſæ inſtar pecorũ ab Atheniẽſibus, qui tergis inſtabãt ſunt trucidati. Sed & Darij & Xercis duorũ apud Perſas, Medoſque, potentiſſimorũ *R*egũ, notior eſt bello accepta calamitas (quanquam militũ nimbos veherent) quã vt cõmemoratione noſtra egeat. Moabitis & Ammonitis qui Arabes in ſocietatem adſciuerant Iudæã aggreſſis cũ Ioſaphat ſuis rebus diffiſus diuinã opẽ imploraret, Propheta Iahaziel bono eũ animo eſſe iuſſit, & magnis hoſtiũ copijs nequaquã terreri, Deũ pro Rege populoq; ſuo pugnaturũ. Rex Prophetæ verbis recreatꝰ ſuos in acie ſtare iubet, *S*acerdotes cũ tubis ante ordines cõſiſtere, Leuitas & cantores hymnos & laudes Domino canere, quietoſq; quid Deus facturus eſſet expectare. Cum itaq; ſuſpenſis animis diuinũ auxiliũ præſtolarentur, repentino tumultu cõcitati hoſtes mutuis cædibus ſe confecêre, tam effera

rabie cõgressi, vt ne vnus quidem ex tam numerosis copijs superfuerit. secundo Paralip. cap. vigesimo. Ionathas, Saulis filius, vno duntaxat comite adiutus, Philistæorum castra noctu ingressus, passim cum cæde peruagatus, tantum eis pauoris iniecit, vt cum omnia ab hoste teneri crederent in fœdam fugam omnes conuersi sint. cap. decimoquarto libri primi Regum. Denique Balduinus Gothofredi Buillonæi frater, & in regno Hierosolymitano successor, cum illud contra Mahumetanos defenderet, ducentis sexaginta equitibus tantum, peditibus nongentis stipatus, Calyphæ exercitum; in quo equitum nouem millia, peditum viginti millia erant, tam egregiè vicit vt in vno conflictu equitum quinque millia præter pedites trucidarit. Baptista Egnat. lib. tertio.

Quartum documen- tum.

Quartum documentum est. REBVS AFFLICTIS AC DVBIIS, CERTIVS A DEO SPERANDVM AVXILIVM, SPEMQVE IN EO COL-

LOCANDAM ESSE ALACRIVS. Non vtar ad hoc confirmandum, illo Agathiæ verbo, *Amat Deus in extrema angustia constitutos, modò ne sint improbi.* Vtar illo potius Dei ad vnumquemque nostrum, illo in tempore, salutari hortatu: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Psal. 49. Dabo verò huius documēti certissimum testem Carolum septimum qui tum desperatissima in re sua, præsentius Dei auxilium est expertus, tum Deo optimo maximo laudes gratiasque dixit publicas; & morum in melius conuersione, Deo bonorum omniū auctori honorem eum habuit, quem ille à nobis potissimū expetit. Plenæ sunt horum exemplorum sacræ historiæ, plena Dauidis vita, plena Machabæorum prælia, pleni Iudicum & Regum libri. Vnum illud de historia Ecclesiastica hîc repetam. Attila Hunnorum Rex expugnata Aquileia, ac solo æquatis Concordia, Batauio, Taruisio, Opitergio, Altino vicinis vrbibus in Italiā metu perculsam

vastabundus se effundebat, Romam imprimis quam ad exemplum Alarici immaniter deformare, & barbaris prædæ exponere decreuerat. Iam vrbi appropinquabat, cum Leo Pōtifex Romanus cum simplici Antistitum & Patritiorum ordine in tiara, sacerdotalique amictu ad eum supplex accedit. Qui cum pro Romanorum & totius Italiæ salute deprecaretur, videt ipse Attila duos augustiore specie Heroës qui à dextra læuaque supplicantis Leonis, vibratis gladijs sibi necem, nisi pijs precibus annueret minitabātur. Territus hoc ostento tyrannus, relicto Italiæ solo in Pānonias reducit exercitum. Paulus Diaco. libro decimoquinto rerum Roman.

Quintum documentum est. PIIS MENTIBVS NON ID SPECTANDVM ESSE IN HAC VITA, VT ÆQVABILI SEMPER RERVM PROSPERITATE VTANTVR: PROVIDENDVM IIS ID ESSE, VT QVÆCVNQVE FVERIT RERVM

Quintum documētum.

CONVER-

CONVERSIO, NVLLAM VIRTVTIS IMMINVTIONEM ADMITTANT. Spectatum id eſt noſtra in Ioanna, quam in hoſtium poteſtatem belli caſus adduxit; ipſa inter hoſtes, conſpectiora dedit exempla conſtantiæ & virtutis. *Vireſcit vulnere virtus.* Seneca libro de prouidentia, *Calamitas, virtutis occaſio eſt. Quid mirum, ſi durè generoſos ſpiritus Deus tentat? nunquam virtutis molle documentum eſt. Quos Deus probat, quos amat, hos indurat, recognoſcit, exercet, eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſeruat.*

SEd iam hactenus & hiſtoriæ, & documentorum ſatis. Excitaui in hac hiſtoria, non ſanè iacentem, ſed haud ſatis vnquam commemorandam, ſparſimque à multis laudatam variè, ab vno aliquo nondum ſat abundè, meo iudicio celebratam, Chriſtianæ noſtræ Amazonis Ioannæ Darc prædicabilem omnium gentium linguis, virtutem & gloriam. Pro- Epilogus.

duxi rerum admirabilium, quas de ea memoraui, grauissimos plurimosque testes: defendi ab obtrectatorum calumnijs, defensam olim ab integerrimis sapientissimisque viris, testatam publico Europæ, publica, delegatorum ab Apostolica sede, sententia, eius integritatem & innocentiam; collegi aliquot, seu firmamẽta meæ causæ, seu vitæ humanæ documenta, quæ in re insita, dissimulari à cõmòdo, & commodandi hominum societati studioso historico, minimè debuerunt. Quid multa? Feci rem sanè mihi operosam; at optatam diu, fateor, & periucundam; facere optaui rem & priuatim & publicè vtilem; vtinam spem & voluntatem meam euentus non fallat! Certè quisquis aut Ioannæ Darc pace & bello clarissimæ Virginis, aut Lothareni, Galliciue nominis gloriæ, aut virtuti ipsi non inuidebit, fauebit, opinor, labori meo: tantoq; eum excipiet æquius, quanto diligentiore modestia facere studui, vt ne is cuiquã acerbus aut molestus esset. Vtcunque de mor-

talibus meritus fuero, Deo me ſpero Diuiſque gratum feciſſe opus; qui hanc hiſtoriam ita ſcripſi, vt ſtatuiſſe me putem ante hominum oculos, Dei in res humanas ſpectatiſſimæ prouidētiæ monumentum. Neque id ita expleui tamen, vt non etiam multa addi poſſe intelligam. Sed id erit fortaſſe alicuius maioris otij, aut mei, aut alterius, qui in hoc argumento, elaborare, cæteroſque ante ſe vincere, pulchrum putabit. Quidquid iſtud nunc eſt, totum id doctorum hominum, modò ne maleuolorum, iudicio permitto: Cenſuræ autem Eccleſiaſticæ, multò magis ex animo committo, ſubmittoque.

FINIS.

LAVS DEO OPT. MAX.
Virgini Matri, Cœlit.
omnibus.

* *
*

AVDICT SIEVR HORDAL SON INTIME AMY, POVR LE congratuler de l'heureux paracheuement de ſon liure, contenant l'honneur & merites de la Pucelle d'Orleans.

TV obliges la France obligeant la Pucelle,
Qui luy donna ſecours contre le fier Anglois,
Ie mourois donc pour toy: car il ny a François
Qui deſireux d'honneur ne d'euſt mourir pour elle.

I. D. P.



AVDICT SIEVR HORDAL POVR LE MESME SVBIECT.

QVe l'on ne vante plus d'vn Homere la gloire
A chanter, vn Virgile d'vn AEnee la memoire:
Tu es bien plus, HORDAL, d'vne veine meilleure
Empeſchant IEANNE DARC qu'en la France ne meure.

Voſtre treſ-affectionné
D. RICHARD.

Acheué d'imprimer le 28. de May, 1612.



PRIVILEGE.
DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nostre Preuost de Paris, Bailly de Chaumont, Senechal de Lion, & tous noz autres Iusticiers ou Officiers ou leurs Lieutenants Salut. Nostre amé & feal M. Iehan Hordal Conseiller d'estat de nostre Tres-cher & tres-amé Cousin le Duc de Lorraine Docteur és droicts & Professeur ordinaire en l'Vniuersité du Pont-à-Mousson en Lorraine, Nous a faict remonstrer qu'il auoit depuis peu de temps en ça faict imprimer en l'Vniuersité dudict Pont-à-Mousson l'histoire de la Pucelle d'Orleans soubs ce tiltre, Heroinæ nobilissimæ Iohannæ Darc vulgo Aurelianensis Puellæ historia. Lequel liure ledict Hordal desireroit de faire vendre & mettre en lumiere en cestuy nostre Royaume. Mais il doubte que autres que luy ou ceux ausquels il auroit donné charge se voulsissent ingerer de l'imprimer frustrant par ce moyen ledict suppliant de son labeur s'il ne luy estoit sur ce pourueu de noz lettres à ce conuenables, humblemẽt requerant icelles. A CES CAVSES desirant ledict suppliant estre recompensé de son labeur, frais & mises, Auons à iceluy permis & octroyé, permettons & octroyons par ces presentes d'imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer par tout nostre Royaume ledict liure sans que autres, que ledict suppliant ou autre ayant droict & pouuoir de luy le puisse imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer iusques au terme de six ans à compter du iour & datte de l'Impression dudict liure, & ce sur peine de confisca-



tion desdicts liures & amande arbitraire.

SI VOVS MANDONS & à chacun de vous commettons endroit soy si comme à luy appartiendra que de nostre priuilege & du contenu en iceluy vous faictes & souffrez iceluy suppliant, & les ayans charger, iouyr & vser plainement & paisiblement, & à ce faire, souffrir & obeyr contraignez tous ceux qui pour ce seront à contraindre par toutes voyes & manieres deuës & raisonnables, Car tel est nostre plaisir, nonobstãtes quelconques lettres à ce cõtraires. Donné à Paris le dixseptiesme iour de Decembre, l'an de grace Mil six cens vnze, & de nostre regne le deuxiesme. Et signees PAR LE ROY en son Conseil, du Lis, & sellees en simple queüe du grand seel de cire iaune.

Collationé à l'Original par moy Conseiller Notaire & Secretaire du Roy.

DV LIS.

